peccatis tuis, quæ commisisti cogitatione, locutione, opere & omissione: Et ego authoritate Domini nostri Iesu Christi, qua fungor in hac parte, te absoluo ab omnibus sententijs excommunicationis minoris & maioris, ab homine uel à canone in te latis, & ab omnibus peccatis tuis, Deo & mihi confessis, contritis & oblitis, & restituo te in gremium sanctæ matris & participationi Sacramentorum ✠ In nomine patris & filij & spiritus sancti, Amen.

NOTA COMMVNIS

Post iniunctam pœnitentiam & absolutionem dictam, abeunti dicatur ex Ioan: 5. & 8.

Vade in pace & noli amplius peccare, ne deterius quid contingat tibi.

APPENDIX

DE VERA CHRISTI ECCLESIA & differentia inter bonos & malos sacerdotes, cum breuissima instructione, De opere operato in Missa, &c,

Verba Christi (utpote Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, Matt: 16.) Non sunt temerè dicta, sed firma sunt & perpetuò sic mansura. Impugnabitur quidem Ecclesia, uinci tamen non poterit. Tempestates & magna mala suscipit, sed non demergitur. Tanquã mater pia & patiens, infinitis persecutionibus & deuastationibus obruta, multa quidem tolerat, quæ tamen non approbat. Iacula in eam mit-

8391

EXAMEN ORDINANDORVM,

AD

Quęstiones sacrorum ordinum, Candidatis proponi consuetas, aptæ & piæ responsiones, Catholicam veritatem succincta breuitate indicantes.

Per Reuerend. P. F. Ioan. Ferum, Metropolitanę Mogunt. Concionatorem, &c.

Huic nouæ editioni accessit. SS. Canonis Missæ pia expositio. D. Odonis Cameracensis Episcopi.

COLONIÆ,
Apud hęredes Arnoldi Birckmanni.
M. D. LXIII.

REVERENDO PATRI, ET ORNATISSI-MO VIRO D. PALLANTI, &c.

Monaſterij Eberbachenſis apud Rhenigeos ordinis Ciſtertienſis Abbati digniſſ. Domino ſuo colendo Philip. Agricola Mogunt.

S. D.

EXamen ordinandorum, quod Reuerend. Pater D. Ioannes Ferus indefeſſus Eccleſiæ Chriſti Athleta, in gratiam aliquãdo prædeceßoris tui D. Andreæ Bodobrigenſis, uiri cùm uiueret optimi, congeſſerat, denuo ſub tui nominis auſpicio, emittimus. Non quidem nouum illud, neq; aliud quàm ab ipſo auctore, uiro meritò omnibus ſuſpiciendo conſcriptum, pia tamen et ſimplici Canonis explicatione, ita auctum, ut etiam inimicus Lector multam in rem Candidatorum acceßiſſe nõ cogatur non fateri. Volumus autem eò ipſo nullo modo hominibus placere, quorum iudicia, ut ſæpe fallacia eſſe poſſunt, ita nos ea non adeo magnifacimus, ſed illis tantùm bene conſulere, quos meßis Chriſti ad officio'am Eccleſiæ operam poſtulat. Non enim parui momenti res eſt, ouium Chriſti, ueri ac cœleſtis paſtoris,

cui pro depoſito rationem reddituri ſunt, quotquot in ſacrum ordinem ſunt aſciti, ſpeculatorem agere. Mala-
Cap. 2. *chias Propheta Domini, uerbis breuiſsimis, quicquid à choro religioſo requirendum depingit:* Labia, inquit, *ſacerdotis, cuſtodient ſcientiam, legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini Sabaoth eſt. Quibus armis inſtructus Eccleſiaſticus uir eſſe debeat obiter cō-monſtrans, prudentia & legis peritia. Nam illis populus ad cognitionem Dei adducendus eſt.* Simili modo
2. Ti. 3. *Paulus Timotheum commendat, quòd ab infantia lite-*
1. Tit. 2. *ras ſacras didicerit. Titum prætereà in doctrina ſana potentem eſſe iubet, quò contradicentes reuincere poßit. Apud Oſeam repellit Deus omnes indoctos re-*
Cap. 4. *ligioni initiatos, Quia tu ſcientiam repuliſti, inquiens, repellam & ego te, ne ſacerdotio mihi fungaris. Quapropter quò nihil deſit illis, qui ad ſacra aſpirāt, hanc piam & dilucidam Methodon, quam hactenus haud ſine fructu deuotis extitiſſe ſenſimus, iam iterū in publicum damus. Deploramus uerò uehementer depravatas quorundam mentes, qui cùm hæc & alia, ad quæ auctor libri, quaſi aditum quendam & uiā Theophilis præparare ſtuduit, magnis uigilijs elaborata habeant, ne extremo quidem digito attingant. An nō illi magnam iniuriam Eccleſiæ Chriſti, quæ operarijs gaudet facere, uidētur? Sed aliquando pœnas daturi.*
Deut. 17. *In ueteri inſtrumēto iudiciū inter leprā, et non leprā, inter ſanctū & prophanū, mundū et immundū penes*

ſacerdotes erat: ſub nouo excellētius quiddā requiritur. Oīs Pōtifex, *inquit* Paulus, *ex hominibus aßũptus,* Heb. 5.
pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum: *ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Et Chriſtus *qui* Apoſtolos *ſuos, eorumq; ſucceßores teſtes doctrinæ ſuæ atque miraculorum in uniuerſo orbe conſtituit, non eos ad lubricæ mundi, ſed ad cœleſtia oracula remittit:* Scrutamini, *inquit, ſcripturas, quia uos putatis in ipſis uitam æternam habere.* Et *illæ ſunt quæ de me teſtimonium perhibent, et non uultis uenire ad me, uitam ut habeatis.* Simili *modo abſoluit eos ad* Apoſto*licam functionem, cùm dicit.* Ite *docete omnes gentes,* Ioan. 5.
baptizando eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus Matth. 28.
ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Et *ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi.* Hoc *religioſorum debet eſſe ſanctum ocium, hæ diurnæ atq; nocturnæ meditationes, his oblectandus animus, ſi ſaltem nobis cordi eßet religio.* Aſſumũtur *enim non ad res leues, ad turpe ociũ, faſtũ, luxũ, ſed ad res omniũ grauißimas, ad miniſterium* Eccleſiæ, *modeſtiam* Chriſtianam, *conſecrationem ſacroſancti corporis & ſanguinis* Chriſti, *cuius miniſtros ſe profitentur.* Si Paulus *gentium* Doctor *uiros* Preſbyteros, *qui bene præſunt, duplici honore dignos cenſuit, certè reliquos, qui aut gregem commiſſum uentris cauſſa negligunt, aut irruentibus lupis deſtituunt, duplici pœna affici uoluit.* Sit *igitur prima*

cura illis, qui iam ministerio Ecclesiæ præsunt, & qui ad illud admitti cupiunt, et quò languorē sponsæ Christi, quo adficitur grauiorem sentiunt, eò magis studeant commissæ functioni benè præesse, uitam quam habent plerique turpem, si contemni nolunt, emendent: custodiant uias Domini, legem Dei diligenter discāt, frequenter doceant. Exempla honestatis uerbo & factis proferant: meminerint non hominis, sed Dei omnipotentis seruos se esse constitutos. Talibus pietatis & timoris Dei, ueritatis, iustitiæ, lenitatis, integritatis, sapientiæq; donis conspicui, ad Ecclesiam promoueri possunt, cùm cæcum animal Deo offeratur, quando indoctus loco docti promouetur, & in magna auctoritate tam apud Deum quàm homines erunt, quippe angelo Domini exercituum similes, imò ipsi angeli, teste Malachia, eò quòd mira prodigia, non omniū oculis patentia, per tales operetur Dominus. Neque aliquis hic excusandi locus patet. Est isto licèt turbulento tempore magnus ubique doctorum uirorum numerus, quorum opera quæ ad Ecclesiasticam pietatem necessaria sunt, uti possunt. Habent in publicum edita exemplaria, si hæc complecti grauentur, è quibus satis ampla discendi materia sumi potest. Habent in isto breui & plano libello satis dilucidam catechesin, qua rudiores, qui adhuc lacte opus habent, utantur, perfectioribus quos ad studiū theologicæ disciplinæ sedulò hortamur, grauiora committimus: grandes enim mate

rias, ut ille inquit, ingenia parua non sustinent. Auctor, ut est nimia quadam modestia præditus, nominis sui gloriolam hoc pilo non redimeret, sed omnia ad Christi ueri & æterni pastoris gloriam, Ecclesiæ salutem, & communem omnium hominum utilitatem dirigere constituit, in primis autem sacris initiandis hoc loco gratificari uoluit: quare accuratè Flacci sententiam est sequutus:

Quicqd præcipies esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Summam itaq; diligentiam hominis senis, & ferè emeriti militis Ecclesiæ, quos paucos hæc ciuitas pares habuit, candidè omnes interpretentur, si uerò quid nouerint rectius istis, syncerè impartiri nõ recusent, sin minus, his utantur nobiscum. Sed ne æquò prolixior sim, operam hanc tibi Reuerẽd. Abbas dicamus: quem cùm amicißimum semper nobis, cùm uehementi zelo erga pietatem flagrantem hactenus cognouimus, dignißimum iudicabamus, ut hoc mutuæ inter nos charitatis symbolon extaret. Vale optime, & tuæ curæ concreditis communica.

CENSVRA SVB-DIACONANDORVM.

VNDE *homini cognitio* Dei?

Ab ipſo Deo. Omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt. Eccleſ.1. Et nemo nouit Patrem, niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Matt.11. Ioann.6. Erunt omnes docti à Deo.

Quomodo ſe reuelat Deus?

Quadrupliciter, Primò per opera ſua. Roman.1. Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur. Ioann.10. Opera quæ ego facio illa teſtimonium perhibent de me. Secundò per verbum ſuum. Ioan.17. Ego dedi eis ſermonem tuum, & ipſi cognouerunt quòd à te exiui, & quòd tu me miſiſti. Tertiò per filium vnigenitum. Ioannis primo: Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu patris, ille enarrauit nobis. Ioann.14. Qui me videt, videt & Patrem. Ioan.17. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, & cæt. Quartò per Spiritum ſanctum. Ioan.16. Cùm venerit paracletus, ille teſtimonium perhibebit de me. Item, Ille me clarificabit, &c.

Vnde homini religio?

A Deo. Ipſe eligit, vocat, ſanctificat, trahit,

dat

dat ſpiritum & voluntatem ſi bi ſeriendi, operatur in nobis velle & perficere, & omnia in omnibus. Ioan. 15. Nō vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: Eze. 36. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciā vt in præceptis meis ambuletis.

Religio quid?

Eſt cultus, quo Deum colimus, qui cultus Græcè dicitur Latria vel Theoſebia. Hęc Auguſtinus lib. 10, de ciuitate Dei, c. 1.

Religio uera quæ?

Diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus. Aug. vbi ſupra c. 4. Ad hoc tendunt priuatæ religiones. Vel ſecundum Iacobum, Religio vera & immaculata apud Deum eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione ipſorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Iac. 1.

Vnde religio dicta?

A religando, quia anima ſe vni Deo (vnde ſe peccato abruperat) reconciliatione ac perpetuo ſeruitio religat. Aug. de ſpiritu & anima. cap. 61.

Idololatria quid?

Eſt cultus ſimulacrorū, vel vbi cultus Deo debitus, creaturæ impenditur.

Idololatria unde dicta?

Ab Idolo, quod est simulacrum, & latria cultus.

Idololatria quotuplex?

Duplex: Spiritualis, vbi vel aliquid Deo præferimus aut æquamus, vel vbi extra Deũ in aliqua re, omnem fiduciam nostram collocamus. Corporalis, vbi simulacra pro dijs coluntur.

Idololatria unde ortum habuit?

Partim ex deceptione dæmonum, qui in cælo gloriam Dei & æqualitatem frustrà affectantes, saltim in terram deiecti, eandem vsurparunt. Partim ex ignorantia hominum & cæcitate. Partim etiam ex peruersitate quorundam hominum, qui sibi diuinum honorem vsurpabant. Partim ex
Act. 2. admiratione & adulatione, quemadmodum concionante Herode, Tyrij & Sidonij acclamabant, vocem esse non hominis, sed Dei. Partim etiam ortum habuit ex desiderio charorum. Sic Ninus rex Assyriorum, in honorem Beli patris sui statuam fecit, quæ postea Bel & Baal dicta fuit: vnde omnis idololatria ortum habuit. Hinc Sapientiæ decimoquarto scribitur: Superuacuitas

homi-

hominum adinuenit idola. Acerbo enim luctu dolens Pater, &c.

De Deo quomodo sentiendum?

Vt de summo & optimo bono, quod est fons, origo, causa, etiam finis omnis boni. Ex ipso enim, & in ipso, & per ipsum sunt omnia. Ipse omnia circundat, omnia implet, omnia regit, omnia portat verbo virtutis suæ. Hebræorum primo. Vel de Deo sentiendum, quòd sit pater omnipotens, creator cæli & terræ, vt docet Symbolum nostrum. Huc pertinet & Symbolum Athanasij.

Dei nomen quot modis accipitur in scripturis?

Quatuor modis. Natura, & sic vnus solus est Deus. Falsa opinione, sicut dij gentium, Iupiter, Mars, & cæt. Præsumptione vel vsurpatione, sicut diabolus dicitur Deus huius mundi: & quidam tyranni, vt Alexander, Nabuchodonosor, se deos nominabant. Participatione gratiæ, itemque vocatione & adoptione. Sic dij dicuntur principes, sacerdotes, & omnes electi. Ego dixi dij estis, Psal. 81. Item dij dicuntur, ad quos sermo Dei factus est. Ioannis decimo, Item principes.

Dijs non detrahes. Exod. 22. Item Apoſt. & ſancti. Pſal. 46. Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.

Deus quid eſt?

Credimus Deum eſſe. In futuro ſeculo videbimus quomodo ſit. Cæterũ quid ſit Deus, nulla vnquã creatura edicere poteſt.

Sicut nemo vnquam vidit Deum, ſic nemo diuinam eius naturam ſatis explicare poteſt. In genere tamen Deus eſt æterna illa mẽs, uel ſubſtãtia ſpiritualis, qua nihil eſſe poteſt nec maius, nec ſapientius, nec melius: ſine initio, ſine fine, ſimplex, ſine vlla admixtione, inuiſibilis, incorporea, immenſa, ineffabilis, inæſtimabilis, quæ eſt ipſum Eſſe, & à qua venit rebus conditis vt ſint.

Dei nomen proprium quod?

Deus apud Hebræos (auctore Hieronymo) decem nominibus appellatur. Apud nos multò pluribus nominibus appellatur. Dicitur enim Dominus, auxiliator, ſaluator, vita, robur, lux, Pater omnipotens, &c. Proprium autem nomen Dei exprimitur in Exodo. Ego ſum, qui ſum: quod Hebræi quatuor literis ſcribũt Iehouah. Sic autem dicitur, proptereà quòd natura eſt, & à ſe ipſo eſt, & à nullo accipit vt ſit, ac perpetua eſt: Denique omnibus alijs dat vt ſint.

Dei uocabulum unde?

Latinorum aliqui putant Deum dici à dando,

do,quòd omnibus det. Alij Deum dici putāt ab eo, quòd nihil ei desit. Apud Græcos θεός, vel dicitur à θεόμαι,quod est speculari. Nam ipse Deus omnia videt & contemplatur. Heb. 4. Vel dicitũ à θεῖν,quod est currere:quia vbique,cum opus est accurrit, & opem fert. Apud Germanos Dei vocabulum à bono deriuatum videtur. Godt,goedt.

Deus in quibus est?

Secundum essentiam, præsentiam & potentiam, vbique, & in omnibus creaturis est, in ipso enim omnia viuunt,mouentur, & sunt. Act.17. Secundum gratiam autem in solis electis. Qui diligit me, &c. ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Huiusmodi enim homines sunt templum spiritus sancti.1.Cor.6.

Deus quomodo summæ rerum præsideat?

Ex ipso & per ipsum sunt omnia,tamen aliqua per se solum agit,vt creare. Aliqua agit ꝑ angelos, aliqua per creaturas inanimatas, & corpora cœlestia. Aliqua per Apostolos, aliqua per Principes,aliqua per dæmones,&c. Vel ita omnia dispensat, vt in cœlo sit laudabilis,in terra mirabilis,in inferno terribilis.

Spiritus quid?

In scriptura aliquādo sumitur pro flatu spiritus

ritus aërei. Frequentiùs autem spiritus dicit̃, quicquid incorporeum est. Sic Deus dicitur spiritus. Item Angelus & animus humanus.

Angelorum officium quale?

Deo assistere. Isai. 6. Dei mandata perferre. Luc. 1. Hominibus ministrare. Heb. 1.

Diaboli natura quæ?

Ex se ipsa bona, & eadem est cũ natura angelorum, nempe, substantia rationalis, incorporea, quæ & beatitudinis capax fuisset & esset, nisi ipse peccatũ & obstinationẽ addidisset. Quæ aũt iã sit eius natura & cõditio, patet ex noĩbus, quibus appellat̃ in scriptura. Dicit̃ enim Sathan, quia semper aduersatur Deo & hominibus. Dicitur Leo, propter apertam impugnationem piorũ. Dicitur draco, propter occultas insidias. Dicitur serpens, propter varietatem fraudum, &c.

Diaboli nomen unde?

A Græca dictione διαβολὴ, diabole, id est, calumnia. Diabolus enim idem est, quod calumniator: quia calumniatur & accusat, nedum peccata, sed etiam bona nostra, vt patet Iob. 1. Nunquid Iob frustrà timet Deum? &c.

Diabolus in quibus tyrannidem suam exercet?

In filijs diffidentiæ, hoc est, omnibus impijs.

pijs. Hi enim ad regnum eius pertinẽt. In pijs autem nihil iuris habet, nisi quantum Deus permittit. Iob.1. Ephe.2.

Quomodo tyrannidem suam exercet?

Vel externè affligendo, vt patet in dæmoniacis: vel spiritualiter in peccata & errores inducendo. Egrediar, & ero spiritus mẽdax, &c.3.Regũ.22. Matth. 8.

Ecclesia quid?

Est congregatio filiorum Dei in Christo Iesu, per Spiritũ sanctũ cõciliata, vno verbo, & eisdẽ Sacramentis concorditer vtens. Vna fide, spe & charitate, alijsque donis spiritus pollens.

Quotuplex Ecclesia?

Duplex, Militans & triumphans. Militans est, quæ adhuc militat, pugnat, & peregrinatur in terris, habẽs adhuc inter se commixtos bonos & malos, triticum & paleas, bonũ semẽ & zizania. Matt.13. Triumphans autẽ est cœtus ille beatarum animarum, cũ Christo regnantiũ, qui ipse de mũdo & diabolo triũphauit, & regnat cum Christo securus in æternum.

Ecclesiæ uocabulum quale?

Est Græcũ, à verbo ἐκκαλέω, qđ est euocare. Vnde Ecclesia dicitur, quasi euocata cócio, vel cógregatio, aut cœtus. Nã euocati sumus per

vera

verbum Christi, a simulacris mortuis ad Deum viuum, & à tenebris ignorantiæ ad lucē Christianæ veritatis.

Ecclesia cur dicitur Christiana?

Quia vni Christo innititur, & ab ipso nomen habet.

Cur dicitur Sancta?

Quia sanguine Christi emundata, & spiritu Dei sanctificata est. Item quia habet, docet, & agit quæ sancta sunt.

Cur Orthodoxa?

Quia rectè sentit & credit, non errat. Sequitur enim vocem pastoris sui. Ioan. 10. Et habet spritum doctorem. Ioan. 14. Ideo dicitur columna & firmamentum veritatis. 1. Timo. 3. Orthodoxus, rectè sentiens.

Cur dicitur Catholica?

Dicitur à κάτα ὅλου, id est secundum totū seu vniuersum.

Quia vniuersalis est, non alligata vni loco, sed se diffundit in quæuis tempora & loca.

Ecclesia quid differt à Synagoga?

Synagoga etiam est congregatio. Quod autē Synagoga expectabit, hoc Ecclesia habet, & possidet. Synagoga habuit vmbram & figuras, Ecclesia habet lucem & veritatem.

Hierarchia quid?

Sacer principatus, vel sacrum regimen.

Ecclesiastica Hierarchia quæ?

Est

Eſt ordinaria poteſtas maiorum &, mino-rum Prælatorum in Eccleſia: quorũ intereſt purgare per correctionẽ, illuminare per doctrinam, & perficere per Sacramentorum adminiſtrationem.

Eccleſiaſtica Hierarchia quotuplex?

Duplex: Non enim ſunt niſi duo ſtatus hierarchici in Eccleſia, maiorum ſcilicet & minorum prælatorum. Sicut Chriſtus non habuit niſi Apoſtolos, quibus Epiſcopi vel maiores Prælati: & diſcipulos ſeptuaginta, quibus ſacerdotes & minores Prælati ſucceſſerunt.

Ordo quid?

Eſt ſignaculum quoddam, quo per manuũ impoſitionem, & alias ceremonias, in adminiſtrationem Verbi & Sacramentorum, ſpecialis poteſtas & gratia datur ordinato.

Ordo uel ordinatio potius, an Sacramentum?

Eſt, quia inſtitutum à Chriſto cùm dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Itẽ: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Ioan. 20. Deinde habet ſuam promiſsionem, ibidem. Accipite Spiritum ſanctum, &c. Præterea habet ſuum ſignum externum, impoſitionem ſcilicet manuum. Poſtremò confert gratiam. 1. Timo. 4. Noli negligere gratiam, quæ

data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuũ presbyterij. Item. 2. Tim. 1. Admoneo vt reſuſcites gratiam, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.

Quotuplex eſt Ordo?

Aliqui dicuntur Ordines Minores, alij Maiores.

Quæ cuiuſq; Ordinis nomenclatura?

Primus, eſt Ordo Oſtiariorum. Secundus Lectorum. Tertius, Exorciſtarum. Quartus, Acoluthorum. Et hi quatuor dicuntur Ordines minores: quia à longè diſponunt & deseruiũt ad ſacrificium altaris. Quintus eſt, Subdiaconorum. Sextus, Diaconorum. Septimus, Presbyterorum.

Quod officium cuiuſq; Ordinis?

Ad oſtiarium pertinebat dignos ad templum recipere, indignos repellere. Ad lecto: Pſalmos & Lectiones cantare. Ad Exorciſtam (quod interpretatur, adiurans vel increpans) pertinebat ſuper inquietos, qui à ſpiritibus immundis vexabantur, aut dæmoniorum illuſionibus & terriculamentis agitabantur, nomen Domini inuocare, adiuratum ſpiritum eijcere, vel compeſcere. Acoluthus dicitur aſſectator, comes, miniſtrás, vel non prohitus; quia conſtitutos in maioribus

Ordini-

Ordinibus, proximè comitabatur. Eius officium erat, portare funalia & cereos, in signum læticię, vt fidelium animi incitarētur ad contemplandam Euangelicam lucem, & erigendam mentem ad veram lucem, quæ Christus est. Subdiaconi officium est, Calicem & panē ad altare portare, vinum ministrare celebranti, corporalia lauare, Epistolam legere, & quātum sufficit de oblationibus consecrandis super altare ponere. Diaconus significat ministrum. Eius officium est, pauperum curam gerere, Episcopis & Presbyteris ministrare, prędicare Euangelium, Ordinandos & baptizandos offerre, &c. Presbyteri sunt seniores propter dignitatem, doctrinam & grauitatē morum. Horum officium est, prædicare, soluere ligare, consecrare, Sacramenta administrare. Episcopus, superattendens. Hic si ordo accipiatur pro Sacramento, non est Ordo: quia circa Sacramentum Eucharistiæ non habet maiorem potestatem, quàm sacerdos alius. Si autē Ordo accipitur pro gradu dignitatis, Episcopatus est specialis Ordo: q̄a habet speciale potestatē in actionibus Hierarchicis, respectu corporis Christi mystici sup sacerdotes.

Episcopatus quando nō sit Ordo.

Ordo est vnum sacramentum respectu finis: quia omnes Ordines, etsi diuersi sunt, in

vnum tamen finem ordinãtur, id eſt, ad corpus Chriſti verum & myſticum.

Horarum canonicarum ratio quæ?

Sunt debitæ gratiarum actiones, pro certis & magnis Dei beneficijs. Quãuis enim duodecim ſint horæ diei, harum tamen ſeptem Chriſtus clariſsimis miſericordiæ ſuæ radijs illuſtrauit. Prima hora laudes canimus Chriſto, quòd pro nobis ſummo mane illuſus, cõſputus & vinctus, Pilato traditus fuit. Tertia, quòd flagellatus, & ſpinis coronatus fuit. Sexta, quòd crucifixus. Nona, quòd emiſit ſpiritum. Veſpere, quòd ſepultus. Hora completorij, quòd in monte Oliueti pauere & tędere cœpit, & ſanguinem ſudauit. Hora autem matutina, quòd pro nobis captus ligatusque fuit, à diſcipulis derelictus & negatus, ab impijs falsò accuſatus & illuſus. Itemq;, quòd eadem hora poſt tres dies reſurrexit.

Miſſa quid?

Eſt paſsionis Chriſti cõtemplatio, & quaſi repræſentatio. Nam ab Introitu vſq; ad Canonem, Chriſti aduentus, & tota eius vita vſque ad paſsionem, à Canone vſque ad Complendam. Paſsio, à Complenda vſque ad benedictionem, ſepultura & reſurrectio exprimitur. Benedictio ſignificat ipſam aſcendentis

tis Christi benedictionem. Missa duplicẽ ratione habet. Primò sacrificij quatenus mors & sacrificium Christi in ea commemoratur. Secundò Sacramenti, quatenus corpus & sanguis Christi, quæ in panis & vini specie continentur, sumuntur.

Missæ uocabulum quale?

Videtur à mittendo deriuatum esse, propterea quòd ad placandum Deum in sacrificio Missæ valens & idonea mittatur legatio. Reuerà autem dictio Hebræa est, idem significans, quod Liturgia Græcè, quod Latinè sonat, sacrum ministeriũ. Hebraicæ enim Missah, significat oblationem spõtaneam. Deut. 16. Oblationem spontaneã offeres, iuxta benedictionem Domini Dei tui.

Quid significat Introitus?

Introitus Sacerdotis, significat introitum & aduentum Christi in mundum. Cantus autem, quem introitum dicimus, significat voces & prænunciationes Prophetarum, quibus prædixerunt futurum aduẽtum Christi. Introitũ instituit Celestinus. 41.

Kyrie eleison?

Id est, Domine miserere, significat orationes & suspiria patrum pro Christo. Symmachus & ante eũ Telesphorus.

Gloria in excelsis?

Significat gaudiũ Angelorũ de nato Chr̃o. Luc. 2.

Collecta?

Significant orationes, laudes & vota eorũ, quibus Christi aduentus primò fuit reuelatus. Quales fuerunt sanctissima Virgo, Zacharias, Elizabeth, Pastores, Simeon, et Anna, itẽque Magi.

Vel Collectæ hoc indicant, quòd tota vita Christi continua pro nobis et perpes oratio fuit.

Epistola?

Officium agit legis et Prophetarum, qui ante prædicatum Euangelium intercesserunt. Maximè autem designat tempus hoc, quo præcursor Christi Ioannes, viam venienti Domino sua prædicatione præparauit.

CEN-

CENSVRA DIACONANDORVM.

Ministerium uerbi quale?

PRædicare Euangelium omni Creaturæ, Marc. 16. Vel prædicare Legẽ et Euangelium, Præcepta et promissa, fidem et opera, Baptismum, et præcepta Christi. Matthæi. 28. Euntes baptizate docentes eos seruare omnia, quæ præcepi vobis.

Quid continetur nomine Canonicæ scripturæ?

Vetus et nouum testamentum. Dicitur autem scriptura Canonica, id est, regularis: q̃a à Deo nobis data est vitæ et veritatis regula qua oĩa probemus, et iuxta quam viuamus. Vel dicitur canonica: q̃a citra vllam controuersiã, afflatu sancti Spiritus ꝓdita est, irrefutabilis existens auctoritatis, et de cuius fide nephas est dubitare.

Quare dicitur uetus Testamentum?

Testamentum propriè dicitur ordinatio illa, qua morientes ordinando res suas, animi sententiam testantur. Interdum in scriptura accipitur pro fœdere, et pacto. Testamentũ igitur vetus est fœdus illud, ꝙ Deus

pepigit cum Abrahã & ſemine eius, promit-tens eis terram Chanaan, & quòd vellet eorum eſſe Deus. Geneſis. 15. & 17. Hoc Teſtamentum vel fœdus confirmatum fuit in datione Legis, cùm Moyſes ſanguine vituli aſpergeret populũ. Hic, inquit, eſt ſanguis fœderis, &c. Exod. 24.

Ob hanc cauſam ea pars ſcripturæ, quæ vetus illud pactum Dei cum ſemine Abrahę cõtinet & tractat, dicitur vetus Teſtamentum.

Quare dicitur nouum teſtamentum?

Quia continet nouum illud fœdus, quod Deus pater per Chriſtum nobiſcum pepigit, promittens nobis remiſsionem, gratiam & vitam æternam, quod fœdus per ſanguinem Chriſti confirmatum fuit, Matth. 26.

Quæ ſunt veteris Teſtamenti uolumina?

Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numerorum liber, Deuteronomium, Ioſue, Iudicũ, Ruth, Regum libri 4. Paralipomenôn libri duo, Eſdræ, libri quatuor, Tobias, Iudith, Heſter, Iob, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Liber Sapientiæ, Eccleſiaſticus, Eſaias, Hieremias, Threni, Baruch, Ezechiel, Daniel, Libri duodecim Prophetarũ, Machabeorum duo.

Horum aliqui olim dicebantur Apocry-

phi,

phi,id eſt,occulti:propterea, ꝙ domi quidē & priuatim,pro ſuo cuiuſq; animo phas eſſet eos legere.In Eccleſia autem publicè nō recitabantur, nec quiſquam eorum auctoritate premebatur.

Hi ſunt Tertius & Quartus Eſdræ, Thobias, Iudith, Sapientiæ liber, Eccleſiaſticus, Baruch,& Machabæorum duo libri. Apocryphi 9. li.

Omnes alij dicuntur Canonici, quia ſunt irrefutabilis auctoritatis etiam apud Iudęos. Hagiographi lib. 28.

Omnes libri veteris Teſtamenti, numero 37.Canonicorum.28.Apocryphorum,nouē.

Quæ ſunt noui Teſtamenti uolumina?

Euangelia Matthæi,Marci, Lucæ, & Ioannis,Acta Apoſtolorum,Epiſtolæ Pauli quatuordecim, videlicet: Ad Romanos, ad Corinthios duæ,ad Galatas,ad Epheſios,ad Philippenſes,ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes duæ,ad Timotheum duæ,ad Titū,ad Philemonem, ad Hebræos. Epiſtolæ Canonicæ ſeptem,videlicet,Iacobi vna,Petri duæ,Ioannis tres,Iudæ vna,& Apocalypſis. Omnes libri noui Teſtamenti numero 27.

Qui ſunt auctores ſingulorum librorum?

Pentateuchum ſcripſit Moyſes excepto vltimo cap. Deut. quod fortè à Ioſue adiectum fuit.Alij libri, quibus nomina propria præ-

figuntur, vidẽtur ab his ſcripti, qũorũ nomina prę ſe ferunt, vt Ioſue, Eſdras, Iob, Tobias, Iſaias, &cæ. Alios, qui nullius nomen præferunt, putant vel Samuelem, vel Eſdram, aut alium quempiã ex Prophetis ſcripſiſſe, Prouerbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorũ ſcripſit Salomon, Sapiẽtiæ librum Philo Iudæus (ſecundum Hieronymum) Eccleſiaſticũ autem Ieſus filius Syrach. Machabæorum auctor incertus eſt.

Qua lingua ſcripti ſunt libri ſacræ ſcripturæ?

Omnes libri veteris Teſtamẽti ſcripti fuerunt lingua Hebræa, exceptis Heſter & Daniele, qui ſecundum aliquos lingua Chaldaica: Et Sapientia, Eccleſiaſtico libriſq; Machabæorum, qui lingua Græca ſcripti fuerunt.

Omnes autem libri noui Teſtamenti ab exordio Græca lingua fuerunt ſcripti, præter Euangelium Matthęi, & Epiſtolam ad Hebræos, qui duo libri Hebraicè ſcripti fuerũt.

Quibus argumentis probatur ſcripturæ Canonicæ auctoritas?

Multis: Nã primò ex veritate rerũ, quas continet. Secundò ex miraculis, quibus ab exordio cõfirmata fuit tam in veteri quàm in nouo Teſtamento. Tertiò ex ſui ipſius conſonantia: tota enim ſcriptura ad vnum finem tendit, nempe, vt DEVS cognoſcatur &

colatur. Quartò ex acceptatiõe Ecclesiæ, quæ vocem pastoris sui Christi agnoscit, alienorum autem voces fugit. Ioan. 10. Postremò non paruam auctoritatem confert scripturæ sacræ sanctitas scriptorum, quos constat Spiritusancto plenos fuisse, & vel à Deo doctos, vel à Christo.

Vetus lex quibus constat?

Lege, Prophetis, & Psalmis. Luc. 24. vel præceptis & promißionibus.

Noua lex quibus constat?

Prædicatione gratiæ & Sacramentorum.

Quæ est differentia ueteris & nouæ legis?

Vetus fuit lex timoris, quia minis cogebat ad sui obseruantiam. Noua autem est lex amoris, quia donis & promißis allicit. Vel vetus lex multa præcipiebat, sed non dabat spiritum. Noua autem dat Spiritum sanctum. Vel vetus lex fuit vmbra; Noua autem est veritas. Illa habuit figuras, hæc rem ipsam. Illa promisit, hæc præstat. Vel vetus testamẽtum docet de Deo creatore & gubernatore; Nouum autem de Deo redemptore & glorificatore. Vel simpliciter vetus & nouum testamentum, non differunt re ipsa, quia vtrobique traditur, vnũ esse Deũ, & hunc solũ colendũ: colendũ aũt spiritu, innocẽtia, & fide, Itẽ

vnis

vnicam esse orbis iustitiam, & redemptionẽ: vnicum sacerdotẽ & sacrificiũ, nempe Christum, Dei & hominis filium. Sperandã quoque à Deo animarum perpetuitatem, & resurrectionem corporum. Differunt tamen hæc duo Testamenta in modo tradendi. Nam illis omnia contingebant in figura, nobis autẽ illa euenerunt citra figuram.

In quo differunt Ceremoniæ legis à Sacramentis nostris?

Quòd Ceremoniæ significabant (nempe gratiam Dei) hoc Sacramenta nostra præstãt. Ceremoniæ tantùm significabant, non sanctificabant: Sacramenta autem nostra & signant & sanctificant.

Sacramentum quid est?

Sacramentum apud Ethnicos scriptores est iusiurandum, seu obligatio numinis vel
Ephe.1. religionis, interuentu confirmata. In scriptu-
Tim.3. ra autem, idem est quod mysterium, id est, sacrum secretum, seu religiosum arcanum. Frequentiùs tamen Sacramentum dicitur sacræ rei signum, quod eius similitudinem gerit, & causa existit, cuius signum est.

Vel Sacramentum est signum sensibile fidei protestatiuum, ex institutione diuina, signans donum diuinum, suscipiẽti dandum,

ad

ad eius ſalutem ordinatum.

Sacramenta quot ſunt?

Septem. Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium, Ex ſcripturis enim animaduerterunt Patres hæc ſeptem myſteria, rectè ac propriè dici Sacramenta, propterea quòd ita ſint ſigna inuiſibilis gratiæ Dei, vt & ipſius gratiæ Dei, quam impartitur, imaginem gerant, & cauſa ſint.

Baptiſmi Sacramẽtum Chriſtus inſtituit, cùm dixit: Euntes prædicate Euangeliũ omnibus gentibus, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Matth. 28.

Confirmationis, cùm dixit: Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Lucæ 24. Euchariſtiæ cùm dixit: Accipite, & manducate, &c. Hoc facite in meam commemorationem. Matth. 26. Pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. Ioan. 21. Extremæ vnctionis, cùm Apoſtolos emiſit ad prædicãdum, & illi exeuntes vngebant oleo multos ægros, & ſanabantur. Mar. 6. Et cùm per Iacobum dixit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper ipſum; vngentes eum oleo, &c. Iacob. 5. Ordinis, cùm dixit: Si-

cut

eut misit me Pater, sic & ego mitto vos. Ioan. 20. Item cũ elegit duodecim Apost. Mat. 10. Et cùm signauit alios septuaginta duos. Lucæ decimo. Matrimonij autem Sacramentum instituit, vel potiùs institutum cõfirmauit: cùm dixit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Mat. 19.

Quot res in quolibet sacramento spectantur?

Duæ. Verbum & Elementum. Verbum est inuocatio Trinitatis verbo promissionis innixa. Elementum est aqua, oleum, panis, vinum. & cæt. Vel aliter. In quolibet sacramẽto multa spectantur: videlicet, institutio diuina, debita materia, debita verborum forma, idoneus minister, fides in suscipiente, intentio recta in ministro, &c.

Quare instituta sunt sacramenta?

Vt sint remedia contra peccatũ, & certa efficaciaque signa voluntatis & gratiæ Dei, in sensum externum incurrentia, admonentia & erudientia nos, vt quod foris in specie visibili fieri cernimus, intus per Dei virtutem effici credamus. Item etiam ideo instituta sunt Sacramenta, vt sint velut Symbola, quibus Christiani se mutuò agnoscant, & in vnione contineantur.

Peccatum quid est?

Quic-

Quicquid vel omiſsione, vel commiſsione, contra Dei legem fit.

Peccatum quotuplex?

Triplex, Originale, Actuale, & Omiſsionis. Originale cõtrahimus à parẽtibus, Actuale fit contra præcepta negatiua. Peccatum autem omiſsionis, contra præcepta affirmatiua.

Actuale eſt duplex: Veniale, ſcilicet & mortale, & cæt.

Pœnitentia quid?

Eſt conuerſio hominis peccatoris ad Deum, qua ex animo odit peccata, cum propoſito deinceps non peccandi. Vel pœnitentia eſt anteacta peccata deflere, & deflenda iterum non committere. Vel pœnitentia eſt ſecunda tabula, ad quam homo poſt naufragium peccatorum (vt ſaluetur) ſe conuertit.

Pœnitentiæ quæ partes?

Contritio, Confeſsio, Satisfactio. Contritio eſt dolor, quo homo commiſſa deflet, & quodammodo in ſeſe dolendo vindicat. Hunc dolorem partim excitat timor, partim amor iuſtitiæ.

Confeßio quotuplex?

Triplex. Confeſsio fidei, Confeſsio diuinę laudis, Confeſsio fraudis vel peccatorum.

Con-

Confeſsio peccatorum etiam triplex eſt; Interna ſcilicet, quæ Deo fit. Fraterna, qua proximus offenſus recõciliatur. Eccleſiaſtica vel Sacramentalis, quæ fit coram ſacerdote.

Satisfactio quid?

Eſt cauſas peccatorum excindere, & earũ ſuggeſtionibus aditum non præbere. Vel ſatisfactio eſt ſolutio debiti, quod diuina exigit iuſtitia, ob offenſam in ſuam legem commiſſam, vel ſatisfactio eſt dignos pœnitentię fructus facere, id eſt, commiſsis peccatis aduerſa facere. Duplex autẽ eſt ſatisfactio: vna

Tit. 2. quę meretur remiſsionem peccatorũ, & abolet mortem ęternam. Hęc ſoli Chriſto tribuitur, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, factus propitiatio pro peccatis noſtris, &c. 1. Ioan. 2. Et hæc eſt vera ſatisfactio.

Alia eſt ſatisfactio, quæ tantùm abolet pœnam temporariam, quam Deus interdũ etiã poſt remiſſam culpam exigit, vt patet in Dauide. 2. Regum. 11. Et hæc eſt pars pœnitẽtiæ. Fit autem Oratione, Ieiunio, Eleemoſyna, Mortificatione carnis; Innouatione vitæ.

Quæ clauium poteſtas?

Ioan. 21. Aperire & claudere, hoc eſt, remittere peccata credentibus, & pœnitẽtibus, & retinere

eadem

eadem incredulis & impœnitentibus. Item ligare criminoſos, & abſoluere pœnitentes. Matthæi decimooctauo. Ioan. 21.

Duæ ſunt claues: Ordinis, & Iurisdictionis. Clauis ordinis, eſt poteſtas vocationis & functionis, ſeu miniſterij ſacerdotalis, qua qui fungitur Chriſti perſonam in Eccleſia repreſentat, omniaque non ſuo, ſed Chriſti nomine agit. Hæc complectitur poteſtatem prædicandi Euangelij, conſecrandi corpus Chriſti, remittendi & retinendi peccata & adminiſtrandi Sacramenta.

Clauis iurisdictionis, eſt poteſtas coërcendi criminoſos vel excommunicandi publicè delinquentes, & eoſdem rurſus abſoluendi, ſi conuerſi hoc petant. Ad vtranque pertinēt non tantùm poteſtas, ſed etiam ſcientia diſcernendi inter ligandos & ſoluendos. Ideo etiā nominantur claues ſcientię & poteſtatis.

Catecheſis quid?

Inſtructio baptizandorum in fide.

Quæ ratio eius? Vel quid opus inſtructione?

Accedentem ad Deum, oportet credere. Hebræorum 11. Nemo autem credit in eum, de quo nihil audiuit. Rom. 10. Neceſſaria igitur erat Catecheſis de nouo veniētibus ad Eccleſiam. Huius quidem forma etiam nunc bapti-

zando adhibetur. Cæterũ ſuſceptoribus paruulorum, incumbit eandem adimplere, poſtquàm ſuſcepti ad annos diſcretionis venerint. Catecheſis autem Chriſtiana cõplectitur articulos fidei, Decem præcepta, Orationem dominicam, & rationem Sacramentorum.

Baptiſmus quid?

I.Tit.3. Latinè eſt tinctio, vel lotio, aut ablutio. Baptiſmus eſt lauacrum regenerationis & renouationis. Vel eſt ſignum ſenſibile ex inſtitutione diuina ſignificans mortem veteris hominis, & renouationem noui. Epheſi.4. Vel eſt ablutio exterior corporis, cum inuocatione ſanctæ Trinitatis, ex inſtitutione diuina ſignificans ablutionem animæ à peccatis.

Vel eſt ſignũ fœderis, quod Deus per Chriſtum nobiſcum pepegit, quo & ipſe nobis promiſit, quòd velit eſſe Deus noſter, & nos ei promittimus, quòd ipſum ſolum colere velimus.

Baptiſmus quotuplex?

Triplex: Fluminis vel aquæ, Flaminis vel ſpiritus, & ſanguinis. De Baptiſmo aquæ dicitur, Ioann.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. De baptiſmo flaminis dicitur. Act.1. Vos autem baptizamini Spirituſancto & igni. De baptiſmo ſanguinis dicitur: Poteſtis bibere cali-

calicem, quem ego bibo? Et baptizari baptiſmo quo ego baptizor?

Euchariſtia quid?

Græca dictio eſt, idem ſignificãs, quod gratiarum actio. Sic autem nominatur Sacramẽtum corporis & ſanguinis Chriſti, quia ſummorum bonorum nos admonet, quæ gratiarum actionem exigunt. Item, quia ipſum offerimus Deo in laudem et gratiarũ actionẽ, pro beneficio redemptionis noſtræ.

Cur dicitur Synaxis?

Synaxis Græcè, Latinè dicitur conciliatio vel communio. Dicitur autem Sacramentum hoc Synaxis vel communio, quia omnes de vno pane, & de vno calice participamus. 1. Cor. 10.

Immo vnus panis, & vnũ corpus efficimur. Per hoc enim myſterium ſignificatur arctiſſima cõiunctio corporis myſtici cum capite, id eſt Chriſti & Eccleſiæ & omnium Chriſti 1. Tit. 3.
membrorum inter ſe.

Cur dicitur Cœna Domini?

Quia in vltima Cœna fuit inſtitutum, & in eius memoriam celebratur.

Quæ eſt cuiusq; Sacramenti uis & uſus?

Vis Sa=cra=mēti.

Baptismi
Confirma-tionis
Euchari-stiæ
Pœnitentiæ
Ordinis
Matrimonij
Extremæ unctionis.

Est con=fer-re gra=tiam Spi=ritus san=cti.

Ad remißionem peccato=rum, maximè originalis.
Ad robur & tutelam.
Ad spiritualem refectio nem.
Ad purgationē peccato-rum actualium.
Ad debitam executionem officij suscepti.
Ad coniunctionem mutu=am animorum.
Ad purgationem venia-lium peccatorum.

V=sus aūt est.

Exuere veterē homi-nē & induere nouū.
Fortiter resistere tē tationibus.
Iugum domini pati-enter ferre.
Etiā seipsum totum dare Deo, et proxi-morū utilitati sicut Christ⁹.
Noua uita.(insistere.
Operi et ministerio
Seruare fidē, educa-re prolem.
Feliciter & securè in Domino mori.

Graduale quid ſignificat?

Lamentum pœnitentiæ, quod Ioannes excitauit, cùm diceret: Pœnitentiam agite, genimina viperarum; ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Luc. 3. Gelaſi'.

Alleluia quid ſignificat?

Conſolationem, quam addidit præcurſor oſtendendo Chriſtum: Ecce, inquit, agnus Dei! &c. vel gaudium ſempiternæ felicitatis poſt luctum pœnitentiæ, & peregrinationẽ huius vitæ. Poſt Alleluia ſequitur Proſa, quæ & ipſa cantus eſt læticiæ, ad ſignificandam geminam ſtolam, glorificationem ſcilicet corporum & animarum. Tractus ſignificat tædium & moleſtiã, & laborẽ pręſentis incolatus. Ioann. 1.

Euangelium?

Significat prædicationem Chriſti.

Credo?

Fidem Apoſtolorum, & confeſsionem Petri: Tu es Chriſtus filius Dei. Matt. 16. Damaſ.

Offertorium?

Significat quòd poſt prædicationem Euangelij, non tantùm ſequi debet fides in corde, ſed etiam laus in ore, & fructus in opere, vt ſcilicet tam nos quàm noſtra Deo offeramus, qui tanta nobis dat & promittit per Euangelium.

CENSVRA PRESBYTERANDORVM.

Summa doctrinæ Christianæ quæ?

CHaritas de corde puro et conſcientia bona, & fide non ficta.1.Tim.1.In hac enim vniuerſa lex pendet & Prophetæ.Matth.22. Vel ſumma doctrinæ Christianæ,eſt agnoſcere Deum,& quem miſit Ieſum Chriſtum.Ioann.17.Vel ſumma doctrinæ Chriſtianæ, eſt Chriſtus finis legis ad ad ſalutem omni credenti.Roma.10.

Deus quomodo est trinus cùm ſit unus?

Trinus eſt in perſonis,vnus tamen in ſubſtantia, vel vnitate eſſentiæ. Sicut Sol vnus eſt in natura, nunquam tamen eſt ſine calore & luce.

Quid cuiq; perſonæ proprium eſt?

Pater à nullo eſt factus,nec creatus,nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt,non factus,nec creatus,ſed genitus. Spiritusſanctus à Patre & Filio eſt,non factus nec creatus,nec genitus, ſed procedens. Patris ergo proprium eſt, quòd ipſe generet: Filio proprium eſt, vt ſit genitus: Spirituiſancto proprium eſt, vt procedat. Item Patri appropriatur maieſtas, ſiue potentia & creatio: Filio appropria-

priatur ſapientia & redemptio: Spirituiſancto appropriatur bonitas & ſanctificatio. Cō munia autem tribus perſonis ſunt: Deus, deitas, magnitudo, uirtus, maieſtas, æternitas, &c. Item: Charitas, ignis, lux, &c. Item: creator redemptor, refugium, &c.

Quid ſanctæ Triadi commune eſt?

Omnia quæ eſſentiam concernunt. Qualis enim pater, talis filius, talis & Spiritusſãctus. Increatus pater, et cęt. Immēſus pater, et cęt. Deus pater, & cæter. Sic Dominus pater, dominus filius, dominus Spiritusſanctus. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coëternæ ſibi ſunt & coæquales, & cæt. Athanaſius.

Deus quomodo creauit hominem?

Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Geneſ. 2. Item creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & fœminam fecit eos, Geneſ. 1.

Quare creauit hominem?

Vt præeſſet piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs vniuerſæ terræ, omnió; reptili,

quod mouetur in terra, Gen. 1. Vel hominem creauit Deus propter seipsum. Iuxta illud: Populum istum formaui mihi, laudem meã narrabit. Isai. 43. Vel ideo creauit Deus hominẽ, vt creatorem suum cognosceret, cognitũ diligeret, dilecto frueretur, ac in perpetuum beatus esset.

Homo quid est?

Animal rationale, hoc est, substantia corporea, animata, sensibilis, & rationalis. Itẽ homo ante casum fuit nobilissima creatura: post peccatum autem, factus est creatura miserrima. Vnde in scriptura nominatur caro, peccatum vanitas & nihil. Ad nihilũ, inquit, redactus sum, Psalm. 72. Item: Homo vanitati similis factus. Psalm. 143. Item: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psalm. 48.

Quæ sunt partes hominis?

Secundum naturam duæ, Corpus scilicet & anima. Secundum scripturam itidem duæ, Caro & spiritus. Item homo exterior & interior. Item sensualitas & ratio. Caro significat quicquid in nobis est humanorum affectuum, citra spiritus sancti auxilium. Spiritus significat agitationes, & impulsus Spiritus-sancti

ſancti in nobis, ad opera bona. Quod natum eſt ex carne, caro eſt, &c. Ioann. 3. Vel caro eſt infima noſtri pars, cui ſerpens antiquus per genitalem culpam, iuſcripſit legem peccati, qua ad turpia prouocamur, & victi Diabolo cõnectimur: Spiritus eſt ea pars hominis, qua diuinæ naturæ ſimilitudinem exprimimus, in qua & ipſe conditor digito, id eſt, ſpiritu ſuo, honeſta, ſuamque legem inſculpſit. Inter hæc duo Paulus interponit animam, eam ſcilicet partem hominis, quæ ſenſuum ac motuum naturalium capax eſt. Hæc vel carni vel ſpiritui adhæret. Si carni, fit & ipſa caro & carnalis: ſin autem ſpiritui, fit & ipſa ſpiritualis. Caro igitur conſtituit pecora: anima, homines: ſpiritus, pios & ſanctos. Caro quærit dulcia: anima, neceſſaria: ſpiritus, cæleſtia.

An cum libero arbitrio creatus ſit homo?

Vtique. Eccle. 15. Deus ab initio creauit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, &c. Appoſuit ei ignem & aquam, &c. Item, Deus creauit hominẽ rectũ, &c. Eccleſiaſtes.

Liberum arbitrium quid?

Eſt libera voluntatis electio, qua bonum cognitum creatura rationalis poteſt amplecti, & malũ vitare. Arbitrium dicitur ab arbitrando & diſcernendo quid eligẽdum ſit, &

quid refutandum. Liberum autem dicitur, quod in ſua poteſtate eſt agendi, quod velit. Liberum igitur arbitrium & intellectum includit et voluntatem. Intellectum, quo cognoſcit. Voluntatem, qua eligit.

Liberum arbitrium quale fuit ante lapſum?

Fuit ſanum & perfectum. Poterat tunc homo non peccare. Poterat Dei præcepta implere. Nullum habebat impedimentum, vt nunc: corpus non impediebat intellectum, quò minùs quod bonum erat cognoſceret. Nec concupiſcentia in carne adhuc erat, quæ voluntatem à bono cognito auerteret.

Liberum arbitrium quale factum eſt post lapſum?

Infirmum & vulneratum. Potens quidem & promptum ad mala, inſufficiens autem & tardum ad bona. Itē eſt ſicut iumētum, quod indiget ſeſſore, ad hoc vt pergat & rectè pergat. Sic liberum arbitrium indiget gratia impellente & dirigente, alioqui nihil rectè facit. Vnde Paulus: Velle quidem adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Romanor. 17. Et Chriſtus: Sine me nihil poteſtis facere. Ioann. 15.

Quomodo lapſus eſt homo?

Auer=

Auertendo ſe à bono incommutabili, ad bonum commutabile. Item plus condeſcendendo vxori quam Deo. Item plus credendo ſerpenti quàm Deo. Item concupiſcendo æqualitatem Dei, maximè autem per fraudem, & deceptionem Diaboli. Geneſ. tertio. Vnde Sapientiæ primo. Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.

Peccata quomodo purgantur baptiſmo in paruulis?

Per inuocationem ſanctæ Trinitatis, per fidem & orationem Eccleſiæ, per virtutem & efficaciam Sacramenti, & vt aliqui volunt, per fidem infuſam puero.

Quomodo purgantur adulti dum baptizantur?

Per fidem propriam, per confeſsionem fidei, & pœnitudinem vitæ prioris. Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm, & accipietis Spiritum ſanctum, & remiſsionem peccatorum.

A purgatis & reconciliatis quomodo colendus eſt Deus?

Fide, Spe, & Charitate, quæ operatur obſeruantiam præceptorum. Item Deus colendus eſt corde, ore, opere, ſecundum quod tria prima præcepta exigunt. Corde, credendo, diligendo,

diligendo,timendo. Ore,laudando, & confitendo. Opere,verum cultum & latriam exhibendo.

Quid eſt fides?

Subſtantia ſperandarum rerum,argumentum non apparentium. Hoc eſt, Fides eſt bonum menti hominis diuinitùs infuſum, quo citra vllam hæſitantiam credit eſſe veriſsima quæcunque diuina eloquia docuerunt, etſi non videantur,etiam ſi omnem rationem noſtram exuperent.

Quotuplex eſt fides?

Duplex:Infuſa & acquiſita. Infuſa eſt,quæ à Deo infunditur homini ad aſſentiendũ his quæ credenda ſunt. Acquiſita autem eſt,quæ poſt iuſtificationem,vel per auditum verbi, vel per viſa miracula augeſcit. Item duplex eſt fides: Actualis, quæ ſcilicet ſe exerit & & exercet,vel oſtendit.Habitualis,quæ ſe nõ exerit,niſi pro loco & tempore, vt in dormiente eſt fides habitualis,ſed non actualis. Itẽ duplex eſt fides: Mortua vel Hiſtorica, quæ tantùm aſſentit Hiſtoriæ , ſine omni affectu pio in Deum. Viua vel iuſtificans, quæ ſic aſſentit Hiſtoriæ, quòd omni fiducia fertur in Deum, & inſuper per charitatem operatur, Galat.5.

Fidei

Fidei Symbolum quale?

Symbolum collatio eſt. Sic fidei Symbolũ eſt, quod ab Apoſtolis collatum & congeſtũ eſt. Eſt autem tale: Credo in Deum patrẽ omnipotentem, &c. Aliud eſt Symbolum Athanaſij de fide Trinitatis cõtra Arrianos: aliud eſt Symbolũ Nicænũ, nẽpe ꝙ patres in Nicęno cõcilio cõtra Arrianos: congeſſerunt: hoc cantatur ad Miſſam.

Spes quid eſt?

Eſt virtus, qua æterna bona cum fiducia expectantur. Vel ſecundum Magiſtrũ in ſententijs: Spes eſt expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia & meritis proueniens.

Spes quomodo differt à fide?

Fides oſtendit promiſſam gratiam, ſpes autem eam arripit, & ſibi aſsignat. Fides dicit: Parata ſunt inæſtimabilia dona à Deo fidelibus ſuis. Spes autem dicit: Mihi illa parata ſunt. Item fides eſt bonarum & malarum rerum. Credimus enim mala & bona, cælum & infernum eſſe, & cæt. Credimus item tam ad nos quã ad alios pertinentia. Spes autem tantùm eſt bonarum rerum, & ad eum qui ſpem gerit, pertinentium. Nemo enim ſe ſperat dãnandum, nec quiſquam pius ſperat, quod ad ſe non pertinet, vt æqualitatem Dei.

Charitas quid eſt?

Eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, proximus propter Deum vel in Deo. Vel Charitas eſt finis præcepti, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1.

Charitatis an aliquis modus aut menſura?

Non quia ad omnes ſe extendit in longum & latum, altum & profundum. Epheſ. 1. Item Charitas nunquam excidet, ſed in æternum manebit. Item maior eſt fide & ſpe. 1. Cor. 13. Vel charitatis modus & menſura, eſt diligere Deũ ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & proximũ ſicut noſipſos.

Charitas quotuplex?

Duplex: Dei ſcilicet & proximi.

Charitatis ordo qualis?

Vt primò diligatur Deus iuxta tria prima præcepta. Deinde proximus iuxta ſeptem poſteriora. Et inter proximos primùm diligãtur parentes domeſtici, & fideles. Deinde etiam aduerſarij, nec noſipſos negligamus. Qui enim ſibi malus, cui bonus? Miſerere, inquit, animæ tuæ placens Deo. Eccleſ. 30.

Quomodo per fidem, ſpem, & charitatem, perueniamus ad mandatorum obſeruationem?

Fides apprehendit gratiam in præterito exhibitam: ſpes autem præmia in futurum repoſita. Ex his accenditur Charitas, quę libe

rè

rè et sponte Dei præcepta obseruat.

Relapsi post baptismum quomodo restituuntur?

Per pœnitentiam. Hæc enim est secũda tabula post baptismum, qua euadimus naufragium æternę perditionis. Quid autem ad pœnitentiam requiratur, suprà dictum est.

Quomodo mandata Dei implentur?

Per gratiam Dei, cooperante tamen et adnitente etiam humana voluntate. Ipse operatur in nobis velle et perficere. Vnde Paulus: Plus omnibus laboraui non ego autem, sed gratia Dei, mecum. 1. Cor. 15. Item mandata implemus, cùm ex fide accipimus Spiritum sanctum, qui ad omnia bona nos incitat. Domine, inquit, da q̃ iubes, et iube quod vis: August. lib. Confessionum.

Vnde tota hominis iustificatio?

A Deo, Ipse enim remittit peccata propter Christum: Ipse insuper nobis infundit Iustitiam, qua coram ipso iusti simus. Iustificari enim, est absolui à peccatis, piumque et iustum effici: Vel exui vetere homine, & indui nouo. Item vera iustificatio à fide, et per fidem incipit: Bonis autem operibus conseruatur, augetur, cõtinuatur, perficitur, et proba-

& probatur.

Meritorum ratio quæ?

Opera noſtra, in quantum noſtra ſunt, nihil merentur, immo ſunt velut pannus menſtruatæ, Iſai. 64. In quantum autem Spiritus Dei ea in nobis operatur, meritoria ſunt. Ipſe enim ſua dona in nobis coronat. Item ex nobis ipſis nihil meremur: Quia nihil Deo dare poſſumus, quod non priùs ipſius ſit. Nihil agere, quod non priùs debeamus. Vnde etiam ſi omnia fecerimus, quę nobis præcepta ſunt, tamen dicere debemus, quòd ſerui inutiles ſumus, Luc. 17. Tamen quia ipſe ſeruantibus ſua præcepta, ex gratia promiſit æterna bona, dicimur ea mereri: non quòd opera noſtra adeò perfecta ſunt, ſed quia Deus promiſit. Itē Chriſtus futuram beatitudinē nominat mercedem: Ergo opera pia habent rationem meriti. Vbi enim merces, ibi eſt & meritum. Ita tamen quòd ſemper plus reſpiciendū in gratuitam Dei promiſsionem, quàm in operum noſtrorum valorem.

Quis moriendi optimus modus?

Mori in Domino, id eſt, in fide Chriſti, in ſtudio pietatis, perſeuerantia bonorum operum, & patientia ſub cruce. Apocaly. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Quis animæ ſtatus poſt mortem?

Animæ piorum, ſunt in requie cum Lazaro: animę impiorum, ſunt in tormentis cum diuite. Luc. 16. Animæ imperfectorum, ſunt in purgatorio, donec per gratiam & ſubuentionem fidelium liberentur. Ideo Eccleſia ab exordio ſemper pro mortuis orauit, vt patet ex Tert.

Præfatio quid ſignificat?

Quia altè legitur poſt aliquantum ſilentium, ſignificat reditum Chriſti in Iudæã, poſtquàm aliquandiu latuerat propter inſidias Iudæorum. Ioan. 11. Tunc enim inſtante paſſione, manifeſtè redijt in Iudæam, ac primò inſignem illam cœnam Bethaniæ celebrauit. Ideo præfatio altè cantatur.

Sanctus?

Significat acclamationem turbæ, in die Palmarum.

Canon?

Prima pars Canonis ante verba cõſecrationis, ſignificat tres illos dies inter diem Palmarum, & cœnam Domini. Verba conſecrationis admonent vltimæ cœnæ, & inſtitutionis Sacramenti.

Eleuatio hoſtiæ & extenſio manuum?

Significat extenſionem & eleuationẽ Chri

ſti in Cruce. Pars Canonis quæ ſequitur, & ſecretè legitur, ſignificat ſilentium Chriſti in cruce.

Pater noſter?

Significat orationem Chriſti: Pater dimitte illis, &c. Item, Pater in manus tuas. &c. & alia verba, quæ in cruce protulit: ideo altè cantatur.

Fractio hoſtiæ?

Significat mortem Chriſti.

Immißio in calicem?

Significat ſepulturam.

Pax Domini?

Significat fructum paſsionis Chriſti, qua pacificauit nos Deo cum ſanguine ſuo.

Agnus Dei?

Significat vocem Centurionis: Verè hic homo iuſtus erat: Et pœnitudinem populi, qui percutientes pectora ſua, reuertebantur. Vel pax Domini, ſignificat reſurrectionem Chriſti, in qua Apoſtolis annunciauit pacem Ioann. 20.

Commune?

Significat gratiarum actionem Eccleſię, ꝓ beneficio redemptionis. Vel ſignificat gaudium Apoſtolorum de Chriſti reſurrectione, Ioann. 20.

Vltimæ

Vltimæ collectæ?

Significant orationem Christi, qua pro nobis iugiter interpellat ad Patrem.

Per ite Missa est?

Dimittitur populus ad propria. Quasi dicat: Ite, Missa est hostia ad Patrē. Vel: Ite, missa est completa.

Benedictio?

Significat benedictionem Christi ascendentis. Luc. 24.

Expositionem Canonis, orationis Dominicę, & Symboli Apostolici, ex Rationali diuinorum, vel ex alijs pete.

HAEC boni consulat quicunque legerit, sciatq́ue, pro his tantùm scripta esse, qui meliora non habent, vnumq́ue hîc quæsitum, ne tales omnino muti in Examine Ecclesiastico inueniantur.

Catalogus quæstionum

communium, quæ in examine subdiaconandorum proponi solent.

Quo=

Baptis-

QVAESTIONES, QVAE IN EXAmine Presbyterandorum proponuntur.

T Y

TYPOGRAPHVS LEctori S. D.

CVm ad finem iſtarum Reſpōſionum excudēdo perueniſſem, & chartas quaſdam non ſatis commodè vacuas relinqui viderem: has enarrationes D. Georgij Vuicelij, in Symbolum Apoſtolicum, in Orationem Dominicam, in ſalutationem Angelicam & in Decalogum, quas pridem Auctor in ſimili argumento adiunxerat, ad explendas reliquas chartas, addere volui: exiſtimans, ſic cum opportunitate finiendi libelli, tuam etiam, pie Lector, vtilitatem coniungi. Opto te feliciter valere.

SYMBOLVM APOSTOLORVM, SEV FIDEI Christianæ Rudimenta.

I.

CREDO in Deum, Patrē omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

II. Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.

III. Qui conceptus est de Spiritu sancto: natus ex Maria Virgine.

IIII. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

V. Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit ex mortuis.

VI. Ascendit ad cælos sedet ad dexteram Patris omnipotentis.

VII. Vnde venturus est iudicare viuos & mortuos.

VIII. Credo in Spiritum sanctum.

IX. Sanctam Ecclesiam Catholicam, communionem sanctorum.

X. Remissionem peccatorum.

XI. Carnis resurrectionem.

XII. Vitam æternam, Amen.

EXEGESIS APOSTOLICI Symboli, præfato Geor. Vuic. Auct.

CRedo) corde & confiteor ore (in Deum) vnum, verum, viuum, (patrem) cælestem & æternum (omnipotentem) cui nihil impossibile, nihil difficile. (Creatorem cæli & terræ) Creauit autem in principio vtrunque verbo prolato, & flatu præsente, ne non sibi Trias illa constaret (Et in Iesum Christum) Nomen est hoc omnium sanctissimi Messiæ nostri, quod sit & saluator & vnctus, adeoq; quòd sit diuinitùs Dominus, sacerdos ac rex verè trismegistus. (Filium eius vnicum) quippe vnigenitum, modo incogitabili natura filium existentem ante omnem creaturam, genitori consubstantialem atque coæternum. Vnicum verò, quia Christiani nos etiam dicimur & sumus filij Dei, sed gratia, non natura: adoptati, non nati (Dominum nostrum) Imperatorem ac principem, cui redémpti seruimus, subq́ue cuius elato signo stipendia facimus spiritales milites. (Qui conceptus est è Spiritusancto) modo ineffabili, idq́ue eo tempore quo Archangelus Gabriel ad virginem Iosepho desponsatam salutator acces-

accesſit. (Natus è Maria virgine) atque ita verbum, per quod initio creauit Deus cælum & terram, caro factum eſt. (Paſſus ſub Pontio Pilato.) Conceptus in oppido Nazareth, natus in oppido Bethleem, paſſus in ciuitate Hierusalem, accepta ſententia mortis à iudice Pilato, qui ipſe tamen palã affirmabat, ſe nullam cauſam mortis in eo inueniſſe. (Crucifixus) peculiari ſupplicio Romanorum, idq́ue non aliter ac ſi fuiſſet maleficus, quũ de nullo peccato quiuerit argui. Tantum abeſt, vt capitale aliquod crimẽ potuerit in eũ cadere. (Mortuus) iuxta hominem pro nobis hominibus, à morte ſempiterna per hanc mortem probroſam redimẽdis. (Et ſepultus) ne quid in Scripturis ſanctis de Meſsia ſeu Chriſto, non reuerà impleretur. (Deſcendit ad inferos.) Nimirum vt iure deſtructis inferorum portis, electos ſuos liberaret, æternaq́ue vita donaret. (Tertia die reſurrexit ex mortuis.) Atque hoc deuicta morte relictis ſub terra mortuis, ipſe non amplius moriens. (Aſcendit ad cælos) victor & triumphator, illò autẽ aſcendit filius hominis, vnde priùs deſcenderat filius Dei. (Sedet ad dexteram patris omnipotentis.) Nimirum glorificatus ſeu clarificatus, & conregnans eiuſdem cum patre poteſtatis

ſtatis ac dignitatis. (Vnde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.) A dextera Dei patris, cui iam corporaliter aſsidet ſub nouiſsimum diem iterum veniet in terram hãc, quẽadmodũ viſus eſt in Bethania ſcandere nubes cæli. Et veniet in maieſtate regia, cum Angelico ſatellitio, tam rex quàm iudex, ad cuius tribunal vniuerſi mortales ſiſtentur examinandi de peracta vita. Is aduentus Chriſti poſterior, eſt in expectatione omnium maxima. (Credo in Spiritumſanctum.) eadem videlicet fide, qua in patrem & filium credo. Nam vna vnius Dei fides: Vnus Deus in ſubſtãtia: Trinus in perſona. (Eccleſiam Catholicam, communionem ſanctorum.) Perſuadeo mihi congregationem Chriſtianorum Euangelij fide ſanctam, & eiuſdem confeſsione felicem exiſtere, vnamque eſſe omnium communionem ac ſocietatem, adeoque omnes vnũ eſſe corpus, cuius caput Chiſtꝰ ſeruator. Verũ congregatio fidelium, quã exiſtere verè credo, & cuius me conſortem atque participem eſſe profiteor, Catholica ſeu vniuerſalis eſt, non ſciſmatica ſeu particularis (Remiſsionẽ peccatorum.) In Eccleſia tali credo Chriſtianis pœnitentibus & conuerſationem ſuam à Baptiſmo ac gratia guſtata corrigentibus, pec-

peccata remitti per misericordiam optimi patris(Carnis resurrectionem) Futurum indubitanter credo, vt cuncti mortales mortui, carne denuò vestiti, è suo quisque sepulcro resurgant, expergefacti, velut à somno voce filij Dei, ac Archangelica tuba. (Vitam æternam) Et hanc futuram cum primis credo hæreditatem, videlicet nostram, conseruatam in cælis, quò tendimus per momentaneæ vitæ huius varia discrimina.

Precatio Dominica.

Pater noster, ꝗ es in cęlis.

I. Sanctificetur nomen tuum.

II. Adueniat regnũ tuũ.

III. Fiat volũtas tua, vt in cælo, sic etiam in terra.

III. Panem nostrũ quotidianum, da nobis hodie.

V. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

VI. Et ne nos inducas in tentationem.
VII. Sed libera nos à malo. AMEN.

EIVSDEM EXEGE.

PAter noſter, qui es in cælis) credentes nos filij tui, per gratiam in hæreditatem aſciti, te inuocamus, te adoramus ſupplices, tua fiſi bonitate.

I. Sanctificetur nomen tuum.) id eſt, vtinã ſanctum tuum per noſtram conuerſationem bonam glorificetur inter omnes homines & dicatur in gentibus: Sanctus Deus ille ſit, oportet, qui tam ſanctos habet miniſtros ac confeſſores. Nomen tuum omni tempore locoq́ue prædicetur, laudetur, metuatur.

II. Adueniat regnum tuum.) Id eſt, vtinam exoptatum tempus tandem veniat, aut potiùs redeat, quo ipſe Rex regnes inter nos quotquot nomen tuum iactamus, & modereris credentium pectora Spirituſancto. Regnum tuum ſpiritale ſemper & vbique floreat & præualeat regno mundi. Fac vt regnum illud tuæ maieſtatis, & iuſtitiam eius iugi ſtudio quæramus: hoc eſt cæleſtia nobis curæ ſint, non terreſtria. Breuiter, domine Pater, rex æternæ, tu regna, tu impera, ac ſimul effice, nos vt ſeruiamus, vt pareamus.

III. Fiat

III. (Fiat voluntas tua,&c.)id eſt,vtinam voluntatem tuam lubẽtes & perficiamus & ſufferamus,illi noſtram ſubijcientes, quamdiu verſamur in terra. Tale enim decet nos, hæreditatem poſſeſſuros in cælo.
IIII. (Panem noſtrum quotidianum)id eſt, nos quod facis,enutri Pater. A te enim ſolo noſtrę manus operatrices tectum,victum atque veſtitum expectant.Porrò curato corpore, paſce quoque animum,bone paſtor, idq́; verbo ſácto,ipſe viſita,ipſe doce nos, noſtrũ eſt audire,diſcere,meditari,facere.
V. (Et remitte nobis debita noſtra,&c.)id eſt,propitius eſto nobis peccatoribus, Pater amantiſsime. Ne moriamur in peccatis noſtris.Ne intres nobiſcum in ius.Ne gehennæ adiudica nos.Effice iuxtà,ne malum pro malo reddamus,ſed ijs qui læſerunt nos,vltro,ſi ſit opus,benefaciamus,condonantes quicq̃d in nos commiſerunt. Tolle vindictæ cupiditatem ex animis noſtris, & dilectionem immitte,qua fiat vt peccare deſinamus.
VI. (Et ne nos inducas in tentationem) id eſt,Ne patere Rex noſter Opt.Max. vt toties & tam periculoſè infirmiuſculos nos Satan tentet & ad malè operandum ſolicet. Noli permittere vt tribulationes, quas nobis hoſtis

ſtis ille procurat, nos abſorbeant, ſed ferendi vires ſubminiſtra, ſicq́ue age nobiſcũ, vt è tot tẽtationũ vndis te duce victores euadamus.

VII. Sed libera nos à malo) id eſt, cuſtodi nos ſicut pupillam oculi tui. A malo dæmone ꝓtege nos, & omnia noſtra. A hominibus iniquis eripe nos, à morbis præſerua nos, aduerſus acerbiſsimum Chriſtiani nominis hoſtem Mahumetanum Turcam defende nos. Ab aduerſis denique omnibus libera nos, vt tuo munimine tuti, tibi ſeruiamus ac placeamus in ſęcula (Amen) id eſt, ratum & certum eſto, quicquid à maieſtate tua diuina petiuimus.

DOMINICAE PRECATIONIS Epilogus.

FIlij petimus, vt nomen Dei glorificetur, regnum Dei quæratur, & voluntas Dei peragatur. Deinde vt neceſſaria nobis dentur, vt peccata noſtra remittãtur, vt infirmitates noſtræ fulciantur. Poſtremùm, vt tam corpore quàm animo ab aduerſitatibus liberi, Deo noſtro per Chriſtum vnigenitum viuamus in omni pietate ac honeſtate, Sela.

Angelica Salutatio.

AVE Maria, gratia plena: Dominus tecũ, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus.

EIVSDEM EXEGESIS.

Aue) Gaude ac exulta. (Maria) semper virgo, in ipso etiam matrimonio (Gratia plena) quippe Christifera, imo Theotocos, spiritu grauida, fide repleta, spe firmata, charitate radicata. (Gratia plena) hoc est omnibus donis gratiæ plena: vnde apud Deũ & homines puella gratiosa, fauorabilis, amata, desyderata (Dominus tecum) videlicet est, quantus quátus est. Tecum habitat, te complectitur, te gubernat, te exaltat, te coronat Dominus (Benedicta tu in mulieribus) neque enim vlla omnium te præcellentior, te prælustior extitit. Inter natas seu filias mulierum, non surrexit maior Maria matre Domini. Proinde nulla vllo sæculo laudatior,, nulla celebrior. Beatá hanc dicunt omnes generationes, huius anima magnificauit Dominum, huius spiritus exultauit in Deo salutari suo. (Et benedictus fructus ventris tui Iesus Christus.) qui ipsa est benedictio, qua benedicimur oés, quotquot

quot credimus in nomine eius. Imcomparabilis laus eſt Mariæ, Meſsiam ſeu Chriſtũ fructum ventris eius, id eſt, filium & eſſe & dici.

Decalogus, ſeu Decem VERBA DEI PRAECEPTORIA.

I.

NE habeto deos alienos coram me.

II. Ne ſumito nomen Domini Dei tui in vanum.

III. Memento diei Sabbati, vt ſanctifices illum.

IIII. Honorato patrem & matrem tuam.

V. Ne occidito.

VI. Ne adulterium committito.

VII. Ne furtum facito.

VIII. Ne reſpondeto contra proximum tuum falſum teſtimonium.

IX. Ne concupiſcito domum proximi tui.

X. Ne concupiſcito vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

ENARRATIO DECALOGI longè breuiſsima.

I. Ne habeto deos alienos coram me. Hoc, eſt me ſolum habeto Deum peculiarem, domeſticum, amicum tibi: imo creatorem

atque Patrem tuum, qui te amat, qui vt viuas facit, qui tibi, vnde viuas, prospicit: qui gressus tuos dirigit: qui te, ne lædaris, obtegit: qui te, ne exitialiter pecces, custodit: qui te lapsum erigit: qui te afflatu suo sancto, rectè vt conuerseris motat: qui te, vt se cognoscas efficit: qui te cælestia docet: qui te, sicubi malè vales, medicatur: qui te in aduersis solatur, secunda subinde procurans. Breuiter cuius semper es, tam dormiens, quàm vigilans. Hic igitur vnus meritò Deus, meritò Dominus tibi sit: Huius verbum ac voluntatem in primis audi, crede, disce, animo retine, factis exprime. Huic adhęre per fiduciam. Hunc dilige corde toto, totisq́; viribus. Eundem cole, admirare, suscipe, extolle, metue, adora, prædica, lauda, glorifica, sequere. Ab hoc solo Deo tuo pende, ab hoc solo quæuis roga, spera, & expecta. Præter hunc de nullo Deo audire sustine, præ hoc contēne quicquid vult aut Deus, aut simile Deo. Idololatriam tā Ethnicorum, quàm Pseudochristianorum fuge. Antichristos horre, hæreticos deuita, sciens terrorem vltoris Domini.

II. Ne sumito nomen Domini Dei tui, &c.) Id est, sanctum nomen Dei, quem fide vnum habes, quem vnum tibi addicis, propriumq́;

facis multò religiosissimè venerare. Eo enim nihil sub Sole sanctius, nihil maius. Ad nomẽ Dei tui nominatum flecte genu, caput aperi, tunde pectus. Hoc nomen pretiosissimum charissimumque tibi perpetuò sit. Huius potentiæ confide, huic da gloriam, hunc inuoca, ab hoc consolationem accipe, in hoc gaude, in hoc vince. Præterea Euangelium Dei tui, item Sacramenta Dei, super quæ nomen istud augustissimum inuocatum est, summa religione complectere. Tantoque bono caue, ne vnquam abutaris, vel ad periuriũ, vel ad conuitium. Ne magiæ vel curiosis artibus operam dato, ne iurato, ne maledicito, ne malè precator vlli mortaliũ. Sanctissimo noïe, sanctissimo verbo, sanctissimis deniq; charismatibus domini Dei tui ad huius gloriam & ad vtilitatem omnibus hominibus æquè cómunẽ vtitor. Sin minùs, en adest in foribus vltrix blasphemiæ virga.

III. Memento diei Sabbati, &c) Iudaicum Sabbatũ Iudæis Christiani relinquimus: Nos verò primam Sabbati, hoc est, diem Dominicum, in Dominicæ resurrectionis continuam memoriam, obseruatione publica sanctificamus. Hunc diem, Sabbatum, seu ferias nostras appelles licet, attamen, vt nihilominus omne

gratię tempus Christiani Sabbati nomine cē-ſeas. Ad rem: Sabbatum igitur ſanctifica, hoc eſt, diem Dominicum, adeoque reliquum vitę tempus ſanctis operibus tranſige. Non tuā, ſed Dei volūtatem hilariter perfice. Deo tuo ferias age quietus. Cæterùm ſeruire Deo, feriari eſt: obſequium dare diabolo, ſeu peccare, operari eſt. Congregatis in Chriſto fratribus te adiunge, cum his ieiuna, commiſſa cōfitere, precare, pſalle, gratias age, Eleemoſynas in egenos diſperge, ęgrotos inuiſe, triſtes ſolare, hoſpites peregrè venientes excipe; pupis, pupullis patrocinare, &c. Hoc demum pacto Sabbatum ritè ſanctificaueris.

IIII. Honorato patrem & matrem tuam,) Vt Sabbatum Dei ſanctificari, ita parentes noſtros honorari iubet lex immaculata. Sabbatum Eccleſiaſticis operibus ſanctificatur, parentes honorantur politicis & œconomicis. Honora parentes, id eſt, reuerere illos, aſſurge, cedeque locum illis, verbis blandis cōpella, & id quidem honorificè, loquentibus illis ſuauiter arride, ſenio grauatos humeris tuis poſito pudore fulci, ac ſuſtenta brachijs: ſic enim bene inſtitutos liberos decet. Verùm ad grauiora legis feſtino. Honora

nora parentes,id est,obedi parentibus Christianis, quorum videlicet iussa capessere fas est. Consule parentes,sicubi hæres. Time parentes,si quid admisisti,ob quod te mens cõscia redarguat. Eosdem defende aduersus iniuriam parum bonæ viciniæ. Si sunt egentes, ale:si carent tecto,collige; si senio deliri, doce:si nudi,tege. Quid multis? Eum honorem parentibus,imò eam honorificam beneficentiam,debes ad sepulcrum vsque. Honorato præterea magistratus ac præceptores tuos,atque hoc obseruantia debita. Promissione, fili mi,diuina frueris,si morem gesseris præcepto diuino.

V. Ne occidito.) Atra bili percitus,caueas ne te rapiat præcipitem tristis iracundia: ita vt proximo tuo,(qui est omnis homo) manus inferas. Iram reprime, à verberãdo manus abstine,ne quid pœnitendum committas. Insidias nemini strue. Inimicitiam procul fuge, lites ac fori latratus te non decere puta. Fratrem obstricto collo in iudicium ne agas. Neminem oderis, nec inuideas vllius felicitati. Contrà verò dilige fratrem,à Christo Iesu dilectione petita,dilectum adiuua, adiutum alijs commenda,commendatum fraternitate haud indignũ iudica. In sũma cole amicitiã.

VI. Ne adulterium committito.) Coniunx castum tuere thalamum domi ac foris. Innuptus aut esto continens, aut nubito. Corpus tuum templum Dei est, hoc tu si turpiter prophanes, iam è Dei templo cloaca Diaboli redditus, animam tuam volens dedis Tartareæ gehennæ. Sed lingua quoque casta sit, sicut decet sanctos. Turpiloquiũ enim audiri inter nos non debet, & piaculum est lænoniam tolerare, fornices facere. Accipe summã rei, adulteros vnà cum fornicarijs dãnat Deus, eijcit Ecclesia, reprobat politia, infamat vicinia.

VII. Ne furtum facito.) Contẽtus re tua viue, si est angusta, moderare victum: sin ampla, decide partem in egentia membra communis Ecclesiæ. Mutua charitas furto rapinaq́; vt plurimum lęditur, & rigor iuris excitatur. Eripi tibi aliquid permolestè fers, cur ergo quod tibi fieri nolis, alteri facias? Cæterùm enorme fœnus etiam exercere, furari est. Nec ab hoc crimine diuersum fuerit fraude negociari, & mangonizare mercimonia. Dolosos mercatores atque opifices, fucatos fures neutiquam falsò dixeris, gregarijs furunculis interuallo aliquo superiores.

VIII. Ne respondeto aduersus proximum tuum

tuum falſum teſtimonium)id eſt,caue ne vllo ſermone aut literis cuiuis proximo noceas,ſed huc incumbe,vt tam loquendo, quàm ſcribendo,proſis. A iudicialibus abhorre, ſi quando de capite hoīs alicuius agitur. Noli mentiri,nec mentientibus patronus eſſe. Errorem,ſi quem deprehenderis,tanquam exitialem peſtem vita, item noxias fabulas. At contra veritati ſtude,illique modis omnibus aſſueſce:Euangelium Chriſti Ieſu,ſine fermẽto hæreticorum admixto omnium lucidiſsima atque puriſsima veritas eſt:hanc ama, hac oblectare ceu vnico theſauro, ab hac nullus auellat te.

IX. Ne concupiſcito domum proximi tui) hoc eſt, ſuam cuique facultatem ſaluam eſſe ſinito.Nihil tibi cum alienis ædibus,aut prędijs, aut hortis, aut nemoribus, aut piſcinis, aut viuarijs.Sine ijs ille fruatur,cui eiuſmodi poſsidẽda diuinitùs obtigerũt.Tu tuis fruere,tua ſorte contentus.Si Domino viſum fuerit,dabit tibi quoque,vnde commodiùs viuas in terra:ſin minùs, opulentiſsima illa in cælis hęreditas certò te manet.

X. Non concupiſcito vxorem proximi,&c) Hoc eſt,vt ſubſtantiam huius ſæculi,quæ tua nõ eſt,ita familiam alienam tibi ne opta qui-

dem, tantum abeſt, vt per violentiam inuadas, tibiq́ue vſurpes. Vt alteri ſuam domum, ita domeſtica, quæuis euiam intacta, relinquito. Vxorem ille ſibi duxit, ſibi ductam habeat; ſed ſic quaſi non habeat, quemadmodum exteriora bona oĩa. Nec tibi quicq̃ rei cum illius famulitio, ſicut nec illi cũ tuo. Idẽ de iumẽtis ſenti. Quod tuũ eſt boni cõſule: quod eſt alterius, ne cupi. Primũ Decalogi præceptũ, cauet de alienis dijs: vltimũ de alienis bonis. Deos alienos habere, idololatria eſt: bona aliena cõcupiſcere, pleonexia eſt.

EPILOGVS DECALOGI.

Qui diligit alterum, legem expleuit. Si quidem illa: Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimoniũ dices, Non concupiſces, & ſi quod aliud præceptum, in hoc ſermone ſummatim comprehenditur, Nempe: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Conſummatio itaq; legis, eſt dilectio. Rom. ca. 13. Rurſus Gal. 5. Tota lex in vno verbo cõpletur, nempe hoc: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Idem Apoſtolus. 1. Tim. 1. Finis præcepti eſt charitas ex puro corde, & cõſcientia bona, & fide non ſimulata.

FINIS.

VSVS

VSVS LITVRGIÆ CHRISTIANÆ.

I.

AD introitum Dominici altaris Cõfeſſionem peccatorum tuorum, vnà cum Presbytero confidenter facito, humi prouolutus & tonſo ter pectore, & cum eodem in pedes ſurgito.

II. Obſecratiunculam pro miſericordia Domini (vocamus Græcè KYRIE-ELEISON EMAS, id eſt, Domine miſerere nobis) cum obſecrante Presbytero quoque repetito.

III. Ad finem orationis Collectæ, Amen ex fide ſubiungito.

IIII. Audito nomine Ieſu aut Chriſti, genu flectito corde conſentiente.

V. Quoties recinitur, Gloria patri, &c. caput reuerenter aperito, & geniculato citra Hypocriſin, vt omnia.

VI. Quando Presbyter Euãgelium lecturus, ſonat: Sequentia ſancti Euangelij, &c. frontem crucis ſigno ter terito.

VII. Ad

VII. Ad Chori reſponſionem Gloria tibi Domine, incuruato genua.

VIII. Symbolum fidei vnà recitato.

IX. Quando Presbyter hortando ſonat: Gratias agamus, & c. procumbito: & gratias Deo tuis verbis agito. Idem fiat in doxologia pręcedenti, vbi dicitur Gratias agimus tibi, &c.

X. Triſagion, videlicet Sanctus, ſanctꝰ, ſanctus, &c. ipſe quoque religioſè pronunciato.

XI. Ad exordium Canonicæ Precationis, humi proſtratus ex animo opta, vt quod Presbyter à Deo petit, vſuueniat. Et exopta pariter, vt Dominus Deus noſter ſanctorum ſuorum interceſſiones pro Eccleſia clementer exaudiat.

XII. Inter eleuandū proferto ſcriptā gratiarum actionem pro redemptione noſtri, hocq́ue complicatis manibus.

XIII. Deinceps precare ardenter pro animabus fideliū hac vita defunctorū.

XIIII. Orationem Dominicam vnà cum ſacerdote plena fide dicito.

XV.

XV. Cùm canit, Pax Domini, &c. cō signa frontem & pectus, & eam tibi pacem vehementer exopta.

XVI. Ter item inuocato agnum Dei, vel cantu, vel prece.

XVII. Communicato misticis Sacramentis spiritualiter nullo non die.

XVIII. Accedat consensus precationi sacerdotali, & Amen respondeto.

XIX. Benedictionem sanctissimę Triadis prono vultu atque capite excipito.

XX. Pòst caueto ne peccces criminaliter, sed vt bene opereris satagito.

FINIS.

PIA ATQVE SVC cincta Canonis Missę, expositio, vetustate, religione & eruditione commendabilis, Venerabilis D. Odonis, quondam Ecclesiæ Cameracensis Episcopi.

PRÆSTANTI ATQVE INTEGERR. VIRO, DOMINO LVDOVICO CARpentarij M. Diui Victoris apud Moguntiam Canonico, & S. Mauritij Decano, &c.

Philipp. Agricola Mogunt.

S. D.

CVm ſuperiore anno Frãcofordiæ in mercatu hyemali eſſem Opti. Vir, incidi, neſcio quo caſu in diuerſas. S.S. Canonis explicationes, quas cũ probè omnes perlegiſſem, inter reliquas nullo modo contemnendas, hanc omnibus non tam propter vetuſtatem, quàm gratã breuitatem præferendam cenſui. Neceſſarium autẽ vehementer iudicamus, vt qui vota ſua religioni dare cupiunt, in iſta neceſſaria S.S. Canonis cognitione ſedulò verſentur. Quare quotquot ad Eccleſiam aſpirant fideliter commonemus, vt ſemoto rigidiore cenſore, hæc & diligenter legant,

gãt, & pijs animis, vt Catholicè ſcripta complectantur. Futurum certè inde, vt non tam melior quàm nunc, ſed planè beata quędam facies Eccleſiæ eluceſcat. Tibi interim, vir eximie, cõſilio magno dedicamus, vt cùm hactenus multis laboribus rẽ ſtudioſorũ iuueris, in poſterum illis, qui ſacræ militiæ ſtipendia ſectantur, operam tuam non deneges.

Vale.

PRAEFATIO AVCTORIS.

ODO Cameracenſis Eccleſiæ miniſter indignus, Vuilbodoni dilecto filio ſuo, ſub venerabili Abbate Hafligemenſi Fulgentio, dominicis caſtris militanti, ſalutem. Præſumptionis argui timeo, quòd auſus ſum rem difficilem contingere, & extendere conatus in alta profunditate, ſcilicet exponere Canonem altaris, & probare tanta myſteria, ſicut ſcriptum eſt. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quomodocunq; me iudicent alij, tu ſcis Frater, quanta precũ inſtantia me viciſti, vt tantum onus ſuſtollerẽ, magis credens adiuuari deuotione & precibus tuis, quàm mea virtute. Impium enim

erat tanto desyderio non acquiescere, etiam si vires excedat: & iudicaui magis sub fasce ruẽdum, quàm tibi omnino contradicendũ. Itaque confisus in Dei auxilio, & tuis precibus, tibi cœpi præsens apud te: & absens perfeci sine te. Oro autem vt Textus cuiusque capituli præscribatur expositioni totius, ne citò præsumantur additiones, vel detractiones vel mutationes in sacro Canone, quod nephas ducimus fieri, sine Romano Pontifice.

TEXTVS CANONIS, Distinctio prima.

TE igitur clementissime Pater, per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum, vnà cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro N. & omnibus

bus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

DOMINI ODONIS Expositio.

QVia dignum & iustum est, nos tibi agere gratias, te igitur clementissime Pater rogamus, vt à nobis sacrificium accipias. Et quia nostras voces supplici confessione admittis, te igitur clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum supplices rogamus, à te tale sacrificium acceptari, vt laudes vocum substantiale sequatur sacrificium. (Rogamus & petimus) Rogatio ostendit humilitatem, petitio confidentiam. Qui aliquid implorat, humilitatem debet ostendere, & de impetratione confidere. Itaque supplices rogamus : confidenter petimus. Vnde scriptum est: Petat à Domino nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris. Et iterum, Quicquid credentes petieritis, accipietis (Vti accepta, habeas & benedicas.) Accepta, id est, grata & placida. Accepta, habeas culpis nostris data venia, nō offensus, imò nostra deuotione placatus (Et benedicas) multiplicādo gratiā, augēdo dignitatē, imo con

Iacob. 1.
Ma. 11.
Iacob. 1.

uertendo in excellentiſsimam immortalitatis & incorruptionis naturam. (Hæc dona) Hæc dona, quæ tibi donamus, vt tibi maneant, per tuam benedictionem firmata. Hæc dona quæ tibi donamus, vt apud te conſiſtãt per tuam benedictioné incorrupta. Hæc dona, quæ tibi donamus, vt fiant tibi Deo accepta. Siquidem Verbum caro factum eſt. (Hęc munera) Solemus illos munerare, à quibus aliquid molimur obtinere. Hæc munera, quibus te in pane terreno muneramus, vt obtineamus eum cæleſtem. Hæc munera, quibus in corporali cibo te muneramus, vt alimentum inde ſpirituale conſequamur. Hæc munera, quibus te muneramus in ſubſtantia panis & vini, vt percipiamus inde corpus & ſanguinem Chriſti. (Hæc ſancta ſacrificia illibata) Sancta, quia Deo oblata. Illibata, quia adhuc integra & intacta. Neque enim contingi debent, donec ſumpſerint vim ſpiritualem, & conuerſa fuerint in Chriſti corpus & ſanguinem. Nam priùs ſumpta, corpus tantùm paſcerent. Vnde quidã ſuperioribus adiungunt quod ſequitur, ſic diſtinguendo: Illibata in primis, id eſt, intacta primùm quouſque diuina benedictione munita, ad ſalutem ſumantur animæ & corporis. Et hoc verbo admonemur,

Ioann. 1.

nemur, vt appositus panis integer sit, & nulla fractione vel læsura violatus. (In primis quę tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica.) In primis, quod superioribus iungitur secundum prædictum sensum, iungitur etiā inferioribus, significando quòd offeramus hostiam, primùm pro tota Ecclesia, deinde ꝓ alijs quę sequuntur. (Quam pacificare) ab hostibus visibilibus & inuisibilibus, vt nec hominum persecutionibus conculcetur, nec instinctu dæmonū, criminibus polluatur. (Custodire) in ipsa pace. (Adunare.) Ne schismatibus vllis & hæresibus diuidatur, sed in vnitate sacramentorum Catholicæ fidei, in omnibus tota adunetur Ecclesia. (Et regere digneris toto orbe terrarum) vt in suis consilijs, dispositionibus, iudicijs, decretis, institutis, actionibus, nullo decipiatur errore, & in omnibus tuo ducatur moderamine. (Vnà cū famulo tuo Papa nostro, & Antistite nostro, & Rege nostro, & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.) De toto descenditur ad partes. Vt cū in primis pro tota Ecclesia oratio fieret, posteà de singulis solliciti simus. Alio nanque tota Ecclesia eget regimine, alio singulæ Ecclesiæ, & alio singuli homines. Alia cura rebus est exhiben-

hibenda publicis, alia priuatis. In tribus autem personis pro quibus orandum proposuit, hoc obseruandum videtur, vt pro Papa vero & Antistite & Rege, orent reliqui Presbyteri. Orthodoxis, id est, vita & doctrina gloriosis, quorum fama dilatatur in populo merito vitæ & doctrinæ. (Fidei cultoribus) non fidem tantùm habentibus. Aliud est enim fidem habere, & aliud fidem colere. Fidem colit, qui studet & intendit secundum fidem viuere, cùm multi fidem habeant, qui hoc non faciant.

Quis Dei cultor.

TEXTVS CANONIS, Distinctio secunda.

MEmento Domine famulorum famularumque tuarum N. & omnium circunstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua, æterno Deo viuo & vero. Communicantes & memoriā venerantes, in primis gloriosæ semper virginis Mariæ genetricis Dei & Domini nostri Iesu Christi.

Christi. Sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomę, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio: Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorũ iubeas grege numerari, Per Christum Dominum nostrum Amen.

DOMINI ODONIS Expositio.

PRIMA periodus hucusque protensa ꝓ tota Ecclesia, omnibusq; fidei cultoribus orat. Secũda, q̃ hîc incipit, ꝓ præsentibus se accingit, q̨ sancti sacrificij sunt astipulatores & cooperatores. (Mem̃eto Dñe famulorũ fa-

mularumque tuarum,& omnium circunſtātium)id eſt, Memento quidem eorum, quos ſuprà propoſui,id eſt,omnium Catholicæ fidei cultorum,tam maſculorum quàm fœminarum,& omnium circunſtantiũ,ſcilicet qui corporaliter aſſunt,ſanctorum cooperatores myſteriorum.Neque enim tanta ſufficio Sacramenta conficere,niſi collectæ multitudinis adiutus oratione, quam priùs etiam ſum hortatus ad orationes, dicendo: Orate fratres.Et ſicut prima periodus, à toto deſcendit ad partes,ita ſecunda hęc ab vniuerſali procedit ad particulare.Omnes verò circumſtātes particulariter ſequuntur.Et ne præſentibus interſint aliqui præuaricatores & vitioſę vitæ,ſubiungitur.(Quorum tibi fides cognita eſt)id eſt, qui probatæ fidei ſunt & depoſitionis apud te. Cognoſcere etenim Dei, approbare eſt.Aliter (Memento Domini famulorum famularumque tuarum)Et quia conſequens in quibuſdam codicibus inuenitur. N. litera, aliquorum fieri memoriam nominatim ſignificatur.Vnde quidam vſu tenent hoc in loco memorandi quos chariores habent,conſequenter ſubiungentes (& omniũ circunſtantium)vt facta memoria charorum abſentium fiat & aſtantium. (Et omnium cir-

Sacerdos aſtātium precibus iuuatur.

circunſtantiũ.)Cum primitùs Miſſę ſine Collecta non fierent, poſtea mos inoleuit Eccleſię,ſolitarias & maximè in cœnobijs fieri Miſſas.Et cùm non habeant quem pluraliter collecta ſalutent, nec plurales mutare poſſunt ſalutationes, conuertunt ſe ad Eccleſiam, dicentes ſe Eccleſiam in Eccleſia ſalutare, & in corpore totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Eccleſia confici ſancta myſteria per gratiam Dei, neceſſe quenquã alicubi fidelium, qui viuificorum non fiat particeps Sacramentorum, dum in corpore Eccleſiæ adhæret capiti, velut vtile membrũ. Secundum quẽ ſenſum in hoc loco circumaſtãtes accipiuntur omnes vbiq; fideles, qui in vnitate vnius corporis, & ſibi adhęrent inuicem & ſummo capiti, vt quicquid boni fiet in toto corpore, ab eo nullo modo ſit alienus, quiſquis ab ipſo corpore non eſt diuiſus, ſed omne bonum cuilibet membro in ſalubrem ſuccum miniſtretur, vt totum corpus vegetetur à ſpiritu Dei. Et hoc modo repetitur oratio, quæ priùs facta eſt pro omnibus Catholicæ fidei cultoribus à ſolitarijs, dicentibus frequenter iterandas orationes, vt ſaltem importunitate vincatur Deus.(Quorum tibi fides cognita eſt) id eſt, Ideo Domine

Nota attentè.

Qui debeant in miſſa priuata circunſtãtes intelligi.

memento omnium circunſtantium, omnium ſcilicet fidelium, quia eorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio. Sic ſolitarij hũc locum intelligunt. (Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.) Non ſolùm Sacerdotes & Clerus (qui ſecundum diuerſos gradus diuinis occupantur officijs) offerunt, ſed etiam audientes qui votis & orationibus aſsiſtunt cooperantes, & oſculo pacis communicant, tanquam confirmantes quod actum eſt. (Hoc ſacrificium laudis.) Verè laudis eſt diuinæ hoc ſacrificium, ſicut in hoc officio teſtati ſumus, dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Deo Patri gratias agere, & cum laudibus Angelicis precati ſumus noſtras voces admitti (Pro ſe ſuiſque omnibus) Pro nobis offerimus quando ſacrificio poſcimus Deum habere, & tutorem contra pericula corporis & animę, & propitium ad obtinendos ſucceſſus bonos in vtraque parte. Pro noſtris omnibus, quando oramus pro amicis noſtris & rebus. Supplicamus enim pro pace amicorum, quando ſunt in bello: pro tranquillo reditu, ſi ſint in itinere: pro ſanitate, ſi in infirmitate decumbunt: pro conuerſione, ſi peruerſè viuunt: & contra amicorum incommoditates, vt adiuuante Deo euadant.

Offert cũ ſacerdote & populi deuotio.

Pro

Pro rebus nostris frequentes in libris Missalibus inuenimus postulationes. Oramus enim tempore sacrificij contra incendia, pro locis nostris: contra nimiam aëris siccitatatem, vel tempestatem, pro fructibus nostris: contra pestem pro animalibus nostris, contra alia damna pro rebus alijs. Habemus enim secundum Apostolum, in Christo consolationem præsentis vitæ & futuræ. (Pro redemptione animarum suarum.) Hoc enim solum sacrificium quo redimi potuimus, cuius bonum sufficit contra nostrum malum, quod magis est bonum quàm peccatum nostrum sit malum, & ideo maiori precio redemit nos à nostro malo, pro spe salutis & incolumitatis suę. Hoc sacrosanctum sacrificinm, non solùm liberat nos à malis, sed etiam accumulat nos bonis: non solùm nos eripit à pœnis, sed etiam auget gaudia salutis & incolumitatis. Salutis (inquam) æternæ: animarum incolumitatis, id est, incorruptionis perpetuæ corporum: & hoc est pro quo offerimus tam preciosum munus. (Tibique reddunt vota sua.) Offerendo sacrificium laudis, reddunt tibi vota sua. Aliter forsitan vota sua non redderent, ni- 1. Tit. 4.

si ta-

ſi tale ſacrificium offerrent. Adiuuantur ſacri ficij virtute, vt vota queant reddere. Difficile eſt comprimere vitia, virtutes in habitum trahere. Sed & vt vota queant reddere ſancti, à DEO neceſſe habent roborari. (Aeterno Deo viuo & vero.) Ad differentiam falſorũ Deorum & inſenſibilium, quibus gentes fruſtra ſoluebant (Communicantes) tibi offerunt ſacrificium laudis, tibique reddunt vota ſua communicantes. Extra communionẽ nanque non eſt locus offerendi Deo veri ſaficij, vel vota ſoluendi. (Et memoriam venerantes.) Aliter Deo gratum non offerimus ſacrificium, aliter Deo vtiliter vota non ſoluimus, niſi memoriam ſanctorum veneremur. Qui enim membra Chriſti non honorat, nec Chriſtum qui caput eſt, honorare poteſt. Et qui non honorat filium, non honorat eũ qui miſit illum. Honoremus ergo caput in membris, Deum in Sanctis ſuis, vt eorum meritis precibuſque in omnibus protectionis diuinæ muniamur auxilio (In primis glorioſæ, &c.) Vſque (Muniamur auxilio per eundem Chriſtũ Dominum noſtrum) In veneratione ſanctorum hæc ratio cuſtodienda eſt, vt primùm & ſuper omnes beata Dei genetrix honoretur: ſecundò Apoſtoli, tertiò ſancti

Nota de ſanctorũ veneratione.

Mar.

Martyres:inde alij ſancti omnes. (Hanc igitur oblationem) Quia hoc ſacrificiũ tibi offerimus in corpore Eccleſiæ communicando & memoriam ſanctorum venerando: Igitur hanc oblationem precamur, vt placatus accipias, vt ſcilicet, ſi peccatis noſtris præpedimur communione ſaltem ſanctæ Eccleſiæ & ſanctorum tuorum veneratione placeris, ad accipiendum quod tibi offerimus ſacrificiũ. (Seruitutis)id eſt,cleri,qui tibi ſecundum acceptos gradus in hac oblatione ſacrificij ſeruimus. (Sed & cunctæ familiæ tuæ)id eſt,totius aſsiſtentis Collectæ.Solitarij ſic intelligunt ſeruitutis noſtræ,id eſt,me,cũ meo miniſtro,(Sed & cunctæ familiæ tuæ)id eſt,cunctæ Eccleſiæ.(Quæſumus Domine,& cę.electorum grege numerari per Chriſtum Dominum noſtrum. Dieſque noſtros in tua pace diſponas.)Signãter,tua,poſuit.Eſt enim pax mundi,eſt & pax Dei.Pax mundi inutilis,pax Dei ſalubris.Pacem conſtituit mundus, vt liberè liceat vti voluptatibus. Pacem dat ſanctis Deus,vt mandatis intenti diuinis, ſecurè ſtudeant virtutibus.

Pax duplex.

TEX-

TEXTVS CANONIS, Diſtinctio tertia.

QVam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, aſſcriptam, ratã, rationabilem, acceptabilemq́ue facere digneris: vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui pridie quàm pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis, dicens. Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meum. Simili modo poſtea quàm cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas. Itẽ tibi gratias agens benedixit, deditq́ue diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Vnde & memores Domine nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta, Chriſti filij tui Domini noſtri, tam beatæ paſsionis, nec non & ab inferis reſurrectionis,

ctionis,sed & in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram,hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Supra q̃ ꝓpitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere sicuti accepta habere dignat9 es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificiũ Patriarchę nostri Abrahæ, & ꝙ tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech,sanctũ sacrificiũ,immaculatã hostiã.Supplices te rogamus omnipotens Deus iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum,in conspectu diuinæ maiestatis tuæ: vt quotquot ex hac altaris participatione,sacrosanctum filij tui corpus & sanguinẽ sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur,per eundem Christum Dominum nostrum.Amen.

EXPOSITIO Domini Odonis.

IN superioribus periodis, prima scilicet & secunda, orauimus pro Ecclesia, pro fidei cultoribus, pro astante collecta.

Hæc

Hęc tertia periodus quam ingredimur, maximè occupatur circa ſacrificium, vt fiat perfectum, & in aliam mutetur ſubſtantiam immortalem & incorruptam. (Quam oblationem, &c.) Vſque. (Acceptabilemq́ue facere digneris.) In omnibus benedictam: benedictam gloria, vt glorioſa fiat: benedictam immortalitate, vt fiat immortalis: benedictam incorruptione, vt incorrupta fiat: benedictá diuinitate, vt Deus fiat. Tranſit ad partes à toto, vt vniuerſalis benedictionis partes imprecetur hoſtiæ, cui vniuerſam benedictionem fuerat imprecatus, vt cum priùs poſuerit in omnibus benedictam, particulariter ſubiungat aſſcriptam, & ratam, & rationabilem, & acceptabilem, quæ ſunt partes omnimodæ benedictionis. (Aſſcriptam). Scimus quia in Trinitate quæ Deus eſt, Filius ſit ſplendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Qui ergo figura & imago eſt Patris, Patrem imaginatur & effigurat, quaſi ſculptura quędam eius: vel ſcriptura in qua pater ſplendet, id eſt, bene apparet: vt rectè filius dicatur ſplendor eius. Eſt ergo pater inſculptus atq; inſcriptus filio, cuius figura filius eſt imago, vt filius ſit eius ſcriptum, quem ſibi habet inſcriptum. Aliter filius dicitur ſcriptum, qui habet in ſe

Heb. 1.

formam

formam omnium rerum. Sic enim omnia create sunt, vt diuini verbi formæ digesserunt, nec aliter in essentiam prodierunt, quàm in in verbo summo formæ dictauerunt. Non sunt ibi aliud formæ, aliud ipsum verbum, vbi nihil est aliud & aliud, sed omnia sunt idipsum, vt quàmuis formarum diuersitas intelligibiliter ibi subluceat, non sunt tamen omnia nisi vnum & idipsum verbum. Et quamuis ibi est vera & perfecta vnitas, ibi tamen secundum creatas res quædam apparet diuersitas, sicut cũ semel loquutus est Deus in Psalmo, Propheta duo intelligit in vno verbo, vnde scriptum est. Quod factum est in ipso vita erat. Factum est de nihilo, erat tamen in verbo. Factum est realiter, erat æternaliter. Erat in summa arte, factum est in re. Viuebat in ratione artificis formaliter, factum est in realitate subsistendi substantialiter. De nihilo ꝓdijt, vt substantialiter esset, quod factum est. In verbo viuebat, vt formaliter esset, antequã substantialiter esset. Factum est multiplex, verbum est simplex. In verbo simplex erat, ꝙ multipliciter factum est. Mirabiliter videtur in vno pluralitas, in simplici multiplicitas: videtur & non comprehenditur. Potest videri, nequit explicari; quomodo vnum verbũ in-

Psal. 16.
Ioann. 1.

G scriptum

ſcriptum ſit omnibus formis omnium rerũ,
Pſal. 44. ſicut alibi ſcriptum eſt: Calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Pater eſt ſcriba, q verbo ſuo velociter inſcribit omnia. Velociter ſcribit, quia alterum non moratur pro altero. Velociter ſcribit, quia ſine mora, ſcribit omnia. Eſt ergo filius Dei, verbum ſcriptum. Sed & corpus aſſumptum, rectè dicitur ſcriptum. Sicut enim vox tranſitoria ſcribitur, vt quæ per ſe fugit, ſcripto permaneat: ſic corruptibile aliquid ſcribitur, cùm incorruptum trãſit, vt quod corruptionis tranſitorium erat, ſcripto incorruptionis permaneat. Sic ergo corpus Chriſti quoddam ſcriptum eſt, quod de paſsibili carne impaſsibile factũ eſt in Reſurrectione, & de Pane terreno quotidie fit cæleſtis ſuper Altare. Si ergo in Chriſto & verbum dicitur ſcriptum, & corpus etiam nihilominus dicitur ſcriptum. Quid autem eſt aſſcriptum niſi ſcripto appoſitum ſcriptum? Eſt ergo corpus Chriſti nõ ſolum ſcriptum, ſed etiam aſſcriptum, id eſt, ſcripto appoſitum ſcriptum, id eſt, verbo corpus adiunctum. Quando igitur oramus hoſtiam fieri aſſcriptam, quid aliud optamus, niſi vt quæ adhuc eſt panis corruptibilis, fiat ſubſtãtia incorrupta, id eſt, de voce fiat ſcriptũ: ſcripto, id eſt,

Quid ſit hoſtiam fieri aſſcriptam

id est,verbo adiunctum. Fac ergo Domine nostram oblationem asscriptam, id est, scriptum scripto adiunctum,vt preciosum Christi corpus fiat,verbo Dei adunata,& in vnitate personæ coniuncta (Ratam,) Ratum dicimus,quod certum & fixum habemus.Fiat ergo rata, id est,non remaneat instabilis & mutanda corruptione, sed permanens & fixa fiat incorruptione,& ideo certa.(Rationabilem) Sanguis taurorum aut vitulorum non sufficit expurgare nos à peccatis. Minor est enim ad hominem,Pro homine ergo rationali,rationalis hostia sufficit sola. Fiat ergo nostra hostia rationalis, siquidem homo assumptus à verbo, ex anima rationali & humana carne subsistit. Fiat hostia nostra rationalis, vt hominem verum pro hominibus offeram' & in hostia rationali Deus propitietur hominibus. Fiat rationalis, vt offeramus rationabiliter. Nam qui offert emundari non studēs,offert irrationabiliter.Qui offert habens cor impœnitens,irrationabiliter offert sicut Cain,rectè quidē offerens,sed nō rectè diuidēs. Rectè quid obtulit Deo, sed non rectè diuisit,q̄a emēdari nō studuit.Vnde scriptū est: Ad Cain & ad munera eius non respexit. Nā quē Deus nō nouit,nec oblationē eius recipit. Heb. 10. Gen. 4.

 cipit.

cipit. Pessimi nanq; hostia irrationabilis est,
Pro. 58. sicut scriptum est, Qui non audit legem, oratio eius erit execrabilis. Fiat ergo rationabilis hostia, vt rationabiliter eam cum timore & pœnitentia offeramus. Vel fiat rationabilis hostia, id est, pro rationabili & recta vel honesta causa. Si quis enim offerat, vt quæ furto ablata sunt reinuenire, seu hostem occidere, vel rapinam perpetrare, seu nummos ac gratiam acquirere valeat, irrationabilis non dicitur offerendi causa ideo nec acceptabilis est talis hostia. Hostia ergo nostra & meritò offerentium, & offerendi causa, fiat rationabilis, vt consequenter fiat etiam acceptabilis.
(Acceptabilem.) Non potest non esse acceptabilis, quæ superiores tres species recipit omnimodæ benedictionis. Non potest Deú
1. Ioa. 4. odisse Deus. Sed quia charitas est Deus, diligit Deum Deus, & acceptabilis est Deo hostia quæ Deus est. Quid ergo oramus fieri acceptabilem, quæ non potest displicere? Nam quæ acceptabilis est per se, displicet pro offerente. Pro offerente respuitur, quę quantum sua refert acceptatur. Acceptatur pro sanctis, non acceptatur eadem ipsa pro impijs. Pios adiuuat, impios damnat. Pijs prodest ad salutem, nocet impijs ad damnationem. (Vt nobis

bis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.) Poſuerat ergo in omnibus benedictam, ſubiunxit quatuor ſpecies, Aſſcriptam, Ratam, Rationabilem, Acceptabilem. Sed hæc omnia clauſa erant, minùs intelligebantur, minùs patebant: aperuit oſtium, patefacit totum, ſcilicet vt nobis fiat corpus & ſanguis Chriſti. Hic totum completur, hic totum perficitur, vt fiat corpus & ſanguis Chriſti tantùm. Solum Chriſti corpus & ſanguis, eſt hoſtia in omnibus benedicta, aſſcripta, rata, rationabilis acceptabiliſque. (Vt nobis corpus & ſanguis fiat.) Signăter poſuit nobis, id eſt, catholicę fidei cultoribus. Nobis excludit Paganos, excludit Iudæos, excludit hæreticos. Nobis communicantibus, memoriam ſanctorum venerantibus. Non eſt enim locus veri ſacrificij extra catholicam Eccleſiam (Qui pridie quàm pateretur, vſq; manus ſuas). Accepit panem, adhuc panem, nondum carnem. (Et eleuatis oculis in cęlum, ad te Deum patrem omnipotentem, tibi gratias agẽs, benedixit). Benedixit, ſuũ corpus fecit. Qui priùs erat panis, benedictione factus eſt caro. Modò caro, iam non panis. (Ac fregit) O miraculum, frangebatur inter digitos, ſedens incolumis inter diſcipulos erat integer, & diui- Nota.

 debatur

debatur in partes, in manibus tenebat seipsum, & de manibus discipulis se porrigebat edendum. Hoc signabat Dauid, qui secundũ aliam translationem coram Achis rege se in suis manibus ferebat. Sic nos quotidie Christum in altari consumimus, & permanet: mãducamus & viuit: atterimus dentibus, & integer est. Et miro modo consumitur permanẽs atteritur incorruptus, distribuitur indiuisus, sicut post resurrectionem palpandum præbuit spirituale corpus. Cùm simili contrarietate, non sit palpabile quod spirituale est, nec sit spirituale quod sit palpabile. In specie em̃ & sapore panis, & vini manducamus & bibimus ipsam substantiam corporis & sanguinis sub ijsdem qualitatibus mutata substantia: vt sub figura & sapore substantiæ prioris, facta sit vera substantia Christi corporis & sanguinis. (Dedit discipulis, &c. Ecce corpus meum). Patet quòd panis accepta benedictione factus sit corpus Christi. Non enim post benedictionem dixisset, Hoc est corpus meum, nisi in benedictione fieret corpus suum. (Simili modo postea quàm cœnatum est accipiens & hunc præclarum calicem.) Si Christus accepit calicem cœnæ, dicitur hunc accepisse, Vnus ergo calix est hic & ille. Nisi enim vnus

1. Reg. 21.

Vnus idẽ q; calix est, quem Christus

nus ſit, dici non poteſt in illo hunc accepiſſe. Eſt ergo vnus etiam quando in altari manibus accipitur vt benedicatur, & nec dum ſanguis eſt, ſed, eſt adhuc vinum, propter vnitatem fidei, & illius cui, & in cuius honore fideliter offertur, Ea enim fide quotidie accipitur benedicendus, vt modò fiat, quod tunc futurus erat. Et quia hæc fides vna eſt in tota Eccleſia, & ille vnus cui tunc & modò offertur: ideo & calix cùm accipitur, etiam ante diuina verba eſt vnus, ſicut & omnium Eccleſiarum altare dicitur vnum, quia in eo ſecundũ vnam fidem, vnum Dominici corporis offertur quotidie ſacrificium. (Præclarum) Præclarum dicit calicem adhuc vini, vſque dum ſtatim fiat præclarus, quando ſanguis erit, ſicut ſcriptum eſt: Calix meus inebrians quàm pręclarus eſt. Vel ad comparationem eius quem obtulit Melchiſedech, & cæterorum veteris Teſtamenti. Vel propter pręclaram illius Maieſtatem, cui offertur. Vnde & in ſequentibus dicit: Offerimus præclarę Maieſtati tuę. (Calicẽ) Metaphoricè id ꝙ continet, ꝓ eo ꝙ cõtinet, id eſt, vas ꝓ liquore vini & aquę (In ſanctas, &c. vſq; (Benedixit) id eſt, ſanguinẽ ſuũ fecit. (Dedit diſcipulis, &c. vſq; (Sanguinis mei) Intranſitiuè dictũ eſt, & eſt ſecũdũ figuram

consecrauit & quẽ Eccleſia.

Pſal. 22.

ram casus pro casu. Calix sanguinis mei, ac si diceret, Calix, scilicet, Sanguis meus. Similiter hic pater quod benedictione fuerit factus sanguis. Ad benedictionem enim præmissam subdit. Hic est Calix sanguinis mei. (Noui & æterni testamenti) Nouum e-
Gen. 21. nim Euangelij testamentum, in æternum cōfirmauit sanguine mortis suæ. Sic Abraham oblatis ouibus & bobus, cum Abimelech & Phicol principe militiæ percussit fœdus, id est, oues & boues percussit in fœdus, vt sanguine animalium & morte fœdus confirma-
Gen. 31. retur. Et Iacob fugiens in Galaad, facto iura mento cum auunculo suo Laban, immolauit victimas, vt sanguine victimarum fœdus iuramenti confirmaretur. Et Moyses vt confir
Heb. 9. maret testamentum, quod accepit in Synai,
Exod. 12. victimæ sanguinem aspersit hissopo, in totū populum, & tabernaculum. (Mysterium fidei). Pertinet ad fidem catholicam, credere post benedictionem esse verum sanguinem, vt infidelis sit, qui hoc non crediderit. Item dicitur mysterium, quod sensibilibus tegitur occultum, sicut veritas sanguinis in sapore vini latet & specie. Calix ergo altaris est mysteriū fidei quia sub figura & sapore vini occultus creditur verus sanguis. Est mysteri um

um fidei,quia quod creditur, sensibilibus q. busdam obtegitur.Nam verus sanguis creditur,quod vinum visu sentitur & gustu. Est fidei mysterium, quia quod fides credit, intus est occultum.Intus est verus sanguis,vera fides,exterius est falsum vinum,vera species. Sentitur vinum, & non est. Non apparet sanguis, & est. Sensus decipitur qualitate,certa tenetur fides rei veritate.Ideoque sanguis dicitur fidei mysterium,quia sanguinem fides credit intus occultum.Apertum est quod sentitur,occultum est quod creditur. Et si quid occultum est,fidei est:sicuti quod patet, est sensus. Est ergo sanguis mysterium fidei,siquidem occultus pertinet ad fidem.(Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum)Pro vobis,scilicet præsentibus,(pro multis.)Paganos & Iudæos discernit, & falsos Christianos.(Hæc quotiescunque feceritis,in mei memoriam facietis.)Nam sine hac memoria, non conficimus dominici corporis & sanguinis sacramenta.Tolle verba Christi,nõ fiunt sacramẽta Christi.Vis fieri Christi corpus & sanguinem?appone Christi sermonem. Facit sermo veritatis quòd dicit,qa ipse dixit & facta sunt,ipse mandauit & creata sunt.Sine dubio fit increatura,quod Chri

Mysteriũ fidei est calix sanguinis Christi.

Psal. 28.
Sap. 18.
1. Cor. 11.

ſti ſermo dicit de creatura. Eſt enim omnipotens ſermo tuus ô Genitor. Fit ergo ſermone Chriſti, corpus & ſanguis Chriſti, quæ quoties verbo potenti ſuminus, mortem Domini donec veniat memoramus. Et ne ſub his myſterijs hæc memoria refugiat à nobis, ſubiũgit. (Vnde & memores Dñi nos ſerui tui).i.qui ſecundũ cleri gradus acceptos, officio huius ſacrificij deſeruimus, vel (ſecundum ſolitarios) hic in prẹſenti miniſtramus. (Sed & plebs tua ſancta) quæ pro veneratiõe huius ſacrificij, hic eſt in prẹſenti deuotè collecta: vel ſecundum ſolitarios, in vnitate Eccleſiæ fideliter vbiq; viuentiũ. (Eiuſdẽ Chriſti filij, &c. vſq; Donis ac datis). Donum eſt addendum, etiam ſi non detur paratum. Donum eſt quod dari poteſt. Datum verò quod in alterius poſſeſsionem eſt iam tranſlatum, quod de poſsibilitate iam prodijt ad actum, quod iam poſsidetur. Corpus ergo & Sãguis Chriſti, ſunt dona à Deo nobis parata. Dona ſunt quæ vtiliter dari poſſunt. Dona ſunt vera, ſed in cœlo collocata in Chriſto. Data verò, quãdo fiunt nobis de creatura panis & vini: Data, quando ſuminus in altari. quando reficimur inde ſenſualiter. Dona in cœlo, data in terra. Dona apud Deum in Chriſto, data ſuper altare in ſacramento. Do-

Corpus & ſanguis Chriſti ſunt dona & data.

na in cœlo nuda,& aperta,data in altari,tecta sensibilibus & occulta: tamen hic & ibi, eadem vera.(Hostiam puram.)Antea veteris legis hostiæ de irrationabilib. animalibus carnales erãt,squaloribus spurcitiæ carnalibus, nidoribusq; plenæ,& dentium contritione in fæces & stercora redactæ. Hæc autem hostia pura est,quia quàmuis caro vera sit & sanguis,tamen spiritualis est & incorrupta. Diuiditur,& consumi non potest.Consumitur & incorrupta manet. Teritur, & est illæsa. Frangitur,& integra est:Hæc hostia caro est, & nõ carnalis,sed incontaminata lux:& ideo pura. Corpus est,& non corporalis,sed spirituale lumen,& ideo pura. Pura mundans,pura purificans,pura, quia diuina, purior luce corporea.(Hostiam sanctam.)Hostiæ veteres erant quidem sanctæ, sed non per se sanctæ: sed quia typum gèrebant huius hostię sacratæ.Illæ imperfectæ erant, & ideo minùs sanctæ:ista perfecta:& ideo plenè sancta.Illæ dimittebant peccata vnius: ista tollit peccata totius mundi.In illis tantum remissio,in hac autem est precium plenum, & perfecta redemptio:Illæ impetrabant veniam debiti sine solutione,hęc reddit debitũ plena recõpẽsatiõe.Ideo hęc plenè & pfectè sãcta,illæ sanctæ,

Christi caro spiritualis est non corporalis hostia.

ctæ,sed minus,& imperfectæ. (Hostiam immaculatam) Id est, sine omni macula culpæ, vtpote concepta & nata sine peccato, & deinde sine culpa vixit in mundo, ideo immaculata. Nata quidem est de humana carne, sed sine conditione propagationis humanę, ideo immaculata. Est sine viro de sancta virgine concepta, ideo immaculata. Est concepta sine humano opere, sola virtute diuina, ideo immaculata. Non enim potest initiũ habere culpabile opus, quod solus Deus fecit & nõ alius, ideo immaculata. Hominis enim initiũ qui sine humana administratione solo Deo auctore creatus est (quãuis de massa peccatrice) non possumus culpare, nisi Deo peccatum velimus asscribere, ideo immaculata. Tamen de pura ab omni peccato virgine creditur cõceptus & natus: ideo immaculata. Ex quo enim angelicam salutationem audiuit, Gratia plena, creditur purificata fide, etiam reliquũ vitæ, custode Spiritusancto vixisse sine omni culpa. Ab immaculata ergo sũpta est hęc hostia, ideo & ipsa immaculata. Ex hoc loco admonemur, quòd panis appositus altari debet esse candidissimus, & in quo nulla posit inspici macula: vt hoc appareat in figura, quod prædicatur de substantia, vt pura & immaculata

Matt. 1.

Luc. 1.

lata videatur exteriùs figura, cuius substantia dicitur interius pura & immaculata. (Panem vitæ æternæ.) Cùm panem audis, ne putes esse qui fuerat ante benedictionem, ne decipiaris mutata substantia. Prius erat panis, modò non est panis, sed sola caro. Sed panem dixit, quasi diceret cibum, sicut scriptum est: Ego sum panis viuus. Et panem angelorum manducauit homo. Quomodo est panis vitæ æternæ qui sumitur à multis ad damnationẽ? Huius panis virtus fides est, quæ per dilectionem operatur. Est enim & panis mysteriũ fidei, sicut de calice dictum est. Sumptus ergo sine fide, non proficit. Nam si hic panis est mysterium fidei, id est, occultum quod sola cernitur fide, quid prodest sine fide sumi, quod sine fide non cernitur? Oculum perdidisti, quid ceco prosunt in arca diuitiæ? Quid prodest diuitias humanæ redemptionis in te recondere, quas non vides oculo fidei perdito? Vnde scriptum est: Qui manducat & bibit corpus & sanguinem Domini indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Nam ille mãducat indignè, qui mãducat sine fide, quæ per dilectionem operatur. Est ergo hic panis vitæ æternæ, non ijs quidem qui tantùm ore sumunt, sed ijs qui etiam mente: non qui premunt

Ioann. 6. Psal. 77. Galat. 9. 1. Cor. 11.

munt dente, sed qui tangunt fide. Vnde scri-
Ioan. 20. ptum est. Noli me tangere, nondũ enim ascẽ-
di ad Patrem meum. Ac si diceret. Vis me ma
nibus tangere? vis me corporaliter tangere?
non sic, fidem tuam volo. Fide me tãge, crede
ad patrem me ascendisse, id est, me esse æqua-
lem patri. (Et calicẽ salutis perpetuæ.) Quod
diximus de pane, idem potest dici de calice,
& quod dictum est vitæ æternę, & salutis per-
petuę. (Supra quæ) &c. vsque immaculatã ho
stiam.) Finis respicit ad principium. Supra q̃
scilicet sanctum sacrificium, immaculatã ho-
stiam respicere digneris & accepta habere, ac
si diceret: Supra quæ respicias & accepta habe
as. ideo quia sanctum sacrificium sunt & im-
maculata hostia: vt qui de merito nostro dif
fidimus, maiestate tanti sacrificij adiuuemur.
Cur autem oramus patrem propitium, & se-
renum esse super hostiam, & eam acceptã ha-
bere, qui nihil habet acceptius, & qui semper
propitius & serenus respicit? Inde enim scri-
ptum est: Hic est filius meus dilectus, in quo
Matt. 5. mihi bene complacui. Sed ad offerentes est
hoc referendum, vt qui pro peccatis terrent̃
& de se diffidunt, hostiam acceptabilem sibi
prætendant, vt eius scuto se protegentes, sub
ea propicium sibi patrem serenumq́ue depos
cant,

cant, & ei se acceptos desyderent, sub ea quã nunquam non acceptabilem dubitant: vt dũ patri per seipsos non audent offerre (ne magis irritent) dilectum filium proponant, vt subeant, & sub eius tutelam ante conspectũ Patris introeant. Oramus ergo, vt acceptabilis hæc hostia sit, placeatque pro nobis: vt cùm offerimus quod placet, placetur nobis Deus, vnde & exempla sanctorũ adhibentur, Abel iusti, Patriarchæ Abrahæ, summi sacerdotis Melchisedech, vt sicut eorum sacrificia Deus acceptauit eis propitiando, ita suscipiat hostiam hanc, nostri miserando. Melchisedech sacerdos summus dicitur, qui inter sacerdotes illius temporis habebatur. (Supplices te rogamus) &c. vsque (Diuinæ maiestati tuæ) Et hic mirum est, quomodo oramus corpus & sanguinem domini in conspectu Dei perferri, cùm scriptum sit: quia Christus semper assistit vultui patris, interpellans Deum pro nobis, & legimus: quia Christus ascendens ad cælum super omnia exaltatus est, sedens ad dexteram patris. Quomodo ergo perferari oramus Christum, vbi semper est? Sed superiùs vultum patris propicium ac serenum fieri super hostiam filij rogabamus, non quòd filio suo pater possit esse

ſeuerus,ſed vt ſub occaſione filij, patris propitiationi nos ingereremus: vt pro amore filij miſereatur noſtri, & quaſi filium paruipendat, ſi pro eo nos non recipiat. Ita & hic rogamus patri perferri filium,qui ſemper eſt apud eum pro nobis, vt votum & deuotio noſtra,per filium veniat ad Patrem,& virtute tãti ſacrificij vota noſtra perferantur ante conſpectum Dei,quaſi filius ad Patrem non aſcendat,ſi deuotio noſtra illuc non perueniat. Tali ratione rogamus, vt ſicut Chriſtus ante diſcipulos à terra tranſlatus eſt in cælum, & factus inuiſibilis in cõſpectu ipſius,poſtea miſſurus ſancti Spiritus donum:ita hoſtia hęc ab altari terreno,ſuper quod immolatur,in altare ſublime ante conſpectum Dei transferatur, vt inde omni benedictione cæleſti & gratia repleamur:vt quæ viſibiliter trãctatur in terra, inuiſibiliter operetur in cælo.Hic oblata, ibi accepta:non mutatione loci vel temporis acceſſu, vt cœptus ab hoc loco tranſlationis motus,ad alium poſtea perficiatur locum. Sed ſub eodem loco qui priùs erat,ſit verbi caro. Non transferaur loco, vt de pane fiat caro:transfertur tamen ab altari ad cęlum, qa transfertur de pane ad DEVM.Sed quia Deus eſt vbique,non fit loci mutatione, vt coniunga-

Qua ratione petimus altaris ſacrificium perferri ante cõſpectum diuinæ maieſtatis.

iungatur Deo de pane facta caro. Transfertur intus ad Deum inuisibiliter, nec mouetur exteriùs ab altari visibiliter: oblata in altari deuotione hominis, accepta in cælo propitiatione Dei. Tunc enim à Deo quasi acceptatur, quando Deus nobis propitiatur, & cælestis benedictio nobis ab eo mittitur. Sed Christus iuuamine non eguit angelorum, quando sua virtute ascendit in cælum. Quid ergo rogamus hanc hostiam perferri per manus angeli ante conspectum Dei, cùm angelorum officia necessaria non sint huic perlationi? Sed hoc est quod dictum est, quia perlationi corporis & sanguinis Christi rogamus vota nostra perferri. Sunt tamen nobis angeli deputati, qui offerunt quotidie Deo vota nostra. Vnde scriptum est: Quia angeli eorum semper vident faciem Patris. Oramus itaque sub occasione Christi: perferri vota nostra per manus angeli, vt vota bona perferant boni angeli, sub prætextu tanti sacrificij. (Supplices te rogamus omnipotens Deus) Supplicamus tibi, curuamur ante te, obnoxius deprecamur: ostende omnipotentiam, extende manum validam: vt quæ propicio ac sereno vultu respicis; etiam ad inuisibilia & sublimia tua perferantur, & con-

Qua ratione petimus per manus angelorũ perferri sacrificiũ nostrum

ſpectui maieſtatis admittas. Hic neceſsitas in curuationis, hic opus ſupplicationis, hic incumbit conſummatio totius noſtri laboris, vt hæc hoſtia perferatur in ſublime altare tu um, in cōſpectu diuinæ maieſtatis tuæ. Quid eſt hoc? Quid eſt perferri hoſtiam in ſublime
Mat.17. altare, niſi ouem humeris paſtoris imponi? Et quid eſt ouis humeris impoſita, niſi homo aſſumptus à verbo? Et quid eſt ſublimius verbo Dei? Quotidie aſſumunt ſibi fideles verbum Dei, participatione huius ſacrificij. Verbū ergo Dei ſublime altare eſt, ad quod oramus hoſtiam perferri in conſpectu Dei, & per eam nos introduci. Conſpectus Dei eſt verbum patris, in quo conſpicit omne quod fecit. Nam omne quod agit pater, in verbo eius eſt. Nam quod factū eſt in ipſo, vita erat.
Ioan.1. Et: In principio creauit Deus cælum & terrā, id eſt, in verbo. Et: Verbo Domini cæli firmati ſunt. Et omnia in ſapientia feciſti. Quid rectiùs dicitur conſpectus Dei, quàm ſapientia ſua, in qua conſpicit omne quod agit? Hoſtiam ergo perferri in ſublime altare, in conſpectu Dei, quid eſt niſi oblationem noſtram cō iungi verbo, vniri verbo, fieri Deum, & per eam nos in Deum aſſumi, & vota noſtra acceptari? (Vt quotquot ex hac, &c. Vſq; & gratia replea

repleamur. Per eundem Christum Dominũ nostrum. Amen.) Habet Ecclesia altare visibile in terra, est & altare inuisibile in cælo apud Deum. Hostia quam in hoc altari DEO offerimus, Deo coniungitur, & fit Deus. In hoc sacrificio coniunguntur terrena cælestibus, creatura Deo. Cùm de hoc altari sumimus creaturam, accipimus de sublimi Deum. Cùm hic corpus & sanguinem Chisti sumimus, de cælo Deum accipimus, in quo omni benedictione cælesti & gratia replemur. Sumimus hic visibiliter corpus & sanguinem Christi, suminus inuisibiliter de cælo, quò perlata sunt, benedictionem & gratiam Dei. Sumimus (inquam) gratiam & benedictionem, siquidem dignè sumimus Christi corpus & sanguinem. Nam qui indignè sumit, ore quidem sumit, & dente terit corporaliter, sed nihil proficit spiritualiter. Imo qui corpus & sanguinem Christi sumit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Ideoque rogemus, vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, inde quò perlata sunt, omni benedictione cælesti & gratia repleamur.

Dupxle altare habet Ecclesia.

I. Cor. II.

TEXTVS CANONIS,
Distinctio quarta.

MEmento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur, per eundē Christum Dominum nostrum, Amen. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partē aliquam & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus sanctis tuis. Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus, largitor admitte, per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc oīa dn̄e semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis. Per ipsum & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo patri omnipotenti, in vnitate spiritus sancti; omnis honor & gloria, per omnia secula seculorum, Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere.

Matt. 6: Pater noster qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum.

Fiat

Fiat voluntas tua,ſicut in cælo & in terra.Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Amen. Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis,præteritis,præſentibus,& futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemper virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis, Petro & Paulo, atque Andrea,cum omnibus ſanctis,da propicius pacẽ in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuę adiuti,& à peccato ſimus ſemper liberi,& ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecũ viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum.

Amen.

EXPOSITIO DOMINI Odonis.

HAc tertia periodo quæ in confectione corporis & ſanguinis Chriſti ſudauit, hucuſque finita,ſumit hinc exordium quarta.Quæ confecto corpore & ſanguine Chriſti redit ad rogandum pro mortuis, fidenti-

or exaudiri patrocinio ſacrificij. (Memento etiam Domine) Hic ſolet fieri memoria amicorum & familiariũ defunctorum. (Ipſis Domine & omnibus in Chriſto quieſcẽtibus.) (Ipſis, id eſt, quorum memoriã fecimus, & poſtea reliquis omnibus indulge. (Nobis quoque peccatoribus famulis tuis.) Scilicet qui officium huius ſacrificij celebramus præſentes: vel ſecundum ſolitarios, qui in corpore Eccleſiæ per totum orbem terrarum fideliter tibi ſeruimus. Totum vero textum qui ſequitur neſcio verbis alijs facere pleniorem vſque. (Per quem hæc omnia Domine ſemp bona creas) Per quem, dictum eſt relatiuè ad hoc quod dixerat, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Sed mirum eſt quod dixit pluraliter hæc omnia bona, cùm corpus & ſanguis Chriſti non ſit niſi vnum. Sed in vno Chriſti corpore, ſunt multæ formæ, & cùm vna ſit ſubſtantia, ſic in vno corpore: vt viſibiliter appareat pluralitas, vbi eſt inuiſibiliter ſubſtantiæ vnitas: & vnum ſit indiuiduũ in ſubſtantia, vbi multiplex eſt figura. Apponunt panes figura plures, & ſubſtantia fiunt vnum corpus Chriſti: manet pluralitas figurarum, ceſſat pluralitas ſubſtantiarum. Eſt vnum indiuiduum, apparent plura, Proinde modò ſicut

Quomodo pluraliter dictũ ſit hæc omnia bona.

cut est, modò sicut apparet, de corpore Dñi loquimur. Sæpe dicimus, in distributione dominici corporis hostias multas expendimus, vel plurib⁹ hostijs multos vno corpore Christi referim⁹, in vno versiculo mõstrãtes, & eorum quæ apparent pluralitaté, & ipsius substantiæ inuisibilis vnitatem, cum hostias plures & vuum dicimus corpus. Sic & in loco dicimus: Hæc omnia bona, omnes scilicet hostias, quas in orbe toto immolat Ecclesia. Quæ quidem, si sensibiles intueris qualitates, infinitę sunt numero: si substantiã, sãguis est vn⁹, & vna caro, quæ semper à Deo creantur, quia qui semel verbi sui corpus creauit de Virgine, quotidie de pane creat eius carnem, & de vino sanguiné. (Sãctificas.) Quotidie sanctificat oratione sacerdotis, & cooperatione Spiritus sãcti. (Viuificas.) Quotidie viuificat corpori pri⁹ inanimato dãs vitã. Vnde & pri⁹ dicebat̃ ratiõabilis hęc hostia (Benedicis) Quotidie benedicit, quomodo superius eã p̃caba mur in omnib. fieri benedictam, & quatuor species subiũxim⁹ benedictonis (Et p̃stas nobis) Quotidie p̃stat nobis corp⁹ filij sui, qa q̃ est apud patrem in sublimi, quotidie præstat nobis in altari. Et quod apud eum donum est in cælo, apud homines datum est in terra.

ra. (Per ipſum & cum ipſo.) Per quem pater de pane carnem creat,ſanctificat, viuificat, benedicit & præſtat: per eundem ipſum filium eſt Deo patri, cum ſpirituſancto, omnis honor & gloria. Eſt honor & gloria patri per filium ſicut ſcriptum eſt: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi. Et:

Ioan:16: Pater clarifica filium tuum, vt & filius clarificet te. Habet enim honorem & gloriam pater cum filio, cum quo communem habet potentiam & diuinitatem. Nam cum quo habet omnia, cum ipſo habet etiam honorem & gloriam. Habet etiam cum ipſo honorem et gloriam pater, in quo eſt. Nam ſcriptum eſt: Pater in me eſt, & ego in Patre. Quia pater

Ioan.14. eſt in me, ideo quicquid habet Pater, habet in filio. Non enim habere poteſt niſi in ipſo in quo eſt. (Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti.) Cohortatur orare, ſubdens cauſſam, quia ſumus inde ſalutari præcepto moniti. Lege Euangelium, & inuenies præceptum. Cur hanc ſolam orationem præcedit adhortatio, cùm plures in hoc Canone faciamus: & ad nullam hortati ſumus? Quia illæ ſunt inferiores & humana ratione compoſitæ: Hęc perfecta & à ſolo formata. Vnde et ſequitur. (Et

Luc.12. diuina inſtitutione formati.) Sicut narrat Euange-

uangelium, Dominum rogabant Apoſtoli, Doce nos orare:Et Dominus informauit eos huius orationis inſtitutione. (Audemus dicere.) Audacia videtur et præſumptio homines infirmos diuina proponere, niſi eſſemus formati diuina inſtitutione. Audemus obedientia non audacia. Audētes audacia, rei ſunt: audentes obedientia, laudandi. Auſus obedientiæ bonus: audacia ſuperbiæ, mala. Et ſicut orandi cauſa ſubiuncta eſt, quia præceptum eſt, ita audendi cauſa præceſsit, quia inde ſumus diuina inſtitutione formati. Oremus ergo, quia inde ſumus pręceptis ſalutaribus moniti: et audemus dicere, quia ſumus inde diuina inſtitutione formati. Nam ideo oramus, quia inde præceptum accepimus: et ideo audemus, quia nos pauidos ad hoc Deus animauit. Dedit præceptum orandi ad ſalutem, dedit fiduciam audendi propter timorem (Pater noſter qui es in cælis.) Dominicam orationem non expono, quia multos Patres expoſuiſſe reperio. Nec oportet hîc ponere, quod in multis locis promptum eſt inuenire. (Libera nos quæſumus Domine.) Facta confirmatione dominicæ orationis dicendo Amen totus textus qui ſequitur pro venia peccatorum orat, et pro pace ſuo principio ſumpto

de fine dominicæ orationis, qui orat contra peccata, dicendo: Sed libera nos à malo. Deinde sequens textus incipit pro peccatis dicendo: Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis. Deinde sequitur pro pace. Da propitius pacem in diebus nostris. Iterũ pro peccatis: Vt à peccato simus semper liberi. Deinde pro pace: Et ab omni perturbatione securi. Iterũ pro pace sequitur. Pax Domini sit sẽper vobiscum. Deinde pro peccatis iteratur: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Iterum pro pace: Dona nobis pacẽ. Et sic finis & cunsummatio sacrificij fit de pace, vt maneamus in pace. Vnde in consummatione sacrificij osculum sumimus: quo in sacrificio assensum & participationem ostendimus, & quod debemus in pace manere signamus.

Osculũ in missa quid significet.

CONCLVSIO.

SAnctissimi Canonis textu studiosissimè inquisito, obsecro te quicunque transcribis, vt distinctiones diligenter obseruans singulorum capitulorum principia grandiusculis literis prænotes, & periodos (in quibus totum quaternarius concludit opusculum) capitalibus literis illumines, appositis titulis, q; bus & periodorum diuersitas prima fronte

præ-

præclare effulgeat, & singulorum capitulorũ principia primò visa se offerant, & immutata cola & commata confusis distinctionibus sententias non conturbent.

Finit Expositio D. Odonis.

PSALMVS DAVID CVM VENISSET *ad eum Nathan propheta, postquam ingressus fuerat ad Bethsabee: in qua solam misericordiam Dei sibi proponit, propter quam orat.*

MIserere mei Deus secundum magnã misericordiam tuam,

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Ampliùs laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniã iniquitatẽ meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malũ corã te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cũ iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Audi-

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impij ad te cõuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtiq;: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: et ædificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.